EPITOME
SACRÆ
EMBRYOLOGIÆ.

EPITOME SACRÆ EMBRYOLOGIÆ

Sive

De Officio Sacerdotum & Aliorum circa æternam Parvulorum in utero existentium Salutem.

Per

CASIMIRUM BOIANSKI

Canonicum Collegiatæ & Iudicem Surrogatum Consistorii Vielunensis, Curatum Mokrcensem.

Ex Libris Quatuor

Francisci Canglamila S. Th: Doctoris Panormitanæ Ecclesiæ Canonici, Theologi in Regno Siciliæ, contra hæreticam pravitatem Inquisitoris

COLLECTUM.

Annô Domini 1789.
Typis impressum Calissii.

Videte ne contemnatis unum de pusillis istis. Math: 18. 10.

Cum humanum genus multis, atque innumeris vitiis sit subjectum; Hierusalem cœlestis maximam partem ex parvulis, vel infantibus arbitror posse compleri. Petr: Diac: apud S. Greg: M. Dialog: l. 4. c. 7.

AD LECTOREM.

Quæ Approbationes Editionem Operum Authoris commendant: eædem, brevitati consulendo, saltim summatim adductæ Opusculum hoc commendent velim.

I.

Sanctissimus in Christo Pater

&

Dominus BENEDICTUS XIV.

Jn ſuo Opere de Synodo Diæcesana l. 11. c. 7. p. 410. § 13. de Editione Authoris hæc habet: Ad comprobandam verò utilitatem & neceſſitatem ſectionis Cæſareæ, cum præſertim defuncta Matre conijcere licet, illius prolem in utero extinctam non eſſe peculiarem Librum edidit Franciſcus Emmanuel Cangiamila impreſſum Panormi Anno 1745. Jn quo ſolidis Argumentis & multa eruditione ſuſceptam cauſam agere non prætermiſit. Et in Epiſtola

ad

ad Auctorem data Romæ 7. Cal: April: Anno 1756. satis libenter in nostro de Synodo Diæcesana Tractatu Libri tui de Cæsareo partu fecimus mentionem: quippe, tum ad temporalem, tum ad æternam hominum vitam multo conducibilis.

II.

Francisci Testa.

Panormitanæ Ecclesiæ Canonici, in suprema Generali sicula Jnquisitione Promotoris Fiscalis, ac pro potestate sæculari librorum Censoris, Operis Judicium.

Jn hoc libro, qui Embryologia Sacra inscribitur, quemque summo

cum Studio, ac animi jucunditate perlegi, nihil offendi, quod Regiis juribus patriisque Institutis adversetur. Quinimo Auctoris doctrina ac religione, quibus apud omnes maxime commendatur, dignum existimo. Aggressus enim novam intentatamque provinciam, eam sic pertractat, ut nihil magis elaboratum, magisque absolutum excogitari possit.

Quanquam omnia ita sapienter accommodatæque dicat, ut plura dixisse desideres; attamen quod adjungi possit, difficile occurret. Quidquid enim ex Sacra doctrina, & Philosophia

&

& ex Medicina ad hanc rem illustrandam corrogari unquam poterat, in hoc unum Opusculum derivatum invenies; animi certe pendebis, num Author magis Theologum, quam Philosophum vel Medicum, hic se præstet. Utinam omnes Sacrorum Ministri, maximè ii, quibus animarum cura concredita est; eruditionem, quam ex profanis studiis sibi comparant, in id conferent, ut homines eum, ad quem creati sunt; finem consequerentur; quemadmodum clarissimus Auctor in hoc opere eo laudabilius præstat, quo magis ii, quorum æternæ incolumitati consulere studet, sibi ipsis pro-

spi-

ſpicere nequeunt. Dabam Panormi ad XVI. Cal: Jun: MDCCXLV.

Franciscus Canonicus Teſta.

III.

Angeli Serio S. T. & U. J. D. Divi Jacobi ad Mare Panormitanæ Urbis Parochi, & in hoc Siciliæ Regno contra hæreticam pravitatem Jnquiſitoris Censura.

IV.

Laurentii Migliaccii Panormitanæ Metropolitanæ Eccleſiæ Regni Siciliæ Primariæ Canonici & Archidiaconi, S. Officii Qualificatoris, & Conſultoris, Judicis, & Examinatoris Synodalis a pro poteſtate Eccleſiaſtica Librorum Cenſoris Operis Judicium.

V.

V.

Doctoris Augustini Gervasii Jn hac Metropoli Protomedici Consultoris ac in Supremo Generali sanitatis Magistratu Deputati Censura.

VI.

Joannis Antonii Zachariæ è Soc: Jesu in Histor: Litter: Jtal: Vol: 3. l. 1. c. 3. §. 12. Ejusdem Operis Commendatio.

VII.

Antonini Mariæ Græco S. T. & U. J. D. Panormitanæ Ecclesiæ Canonici & pro Facultate Ecclesiastica Librorum Censoris Judicium.

VIII.

VIII.

Regiæ Panormitanæ Medicorum Academiæ Censura.

IX.

Epiphanii Gvarnera Abbatis Ordinis S. Basilii Magni, & Panormi librorum pro Ecclesiastica jurisdictione Censoris approbatio.

CEN-

CENSURA.

Librum, cui Titulus *Embriologia Sacra*, jam pridem Jtalico sermone publicatum, nunc latinitate donatum, nonnullisque annotationibus auctum, cum perlegissem; nihil Catholicæ Religioni dissonum, pietatique oppositum in illo observavi; quinimo Clarissimi Authoris eruditionem, zelum, & charitatem, cunctos; qui eundem percurrerint miraturos nullus dubito. Jure merito igitur censeo, novam mereri lucem, ex qua ampliores fructus cælo præparari, experientia ipsa convincit.

Ex hoc monasterio Sancti Basilii Magni de Panhormo. Die 29. Octobris 1753.

S. Th. Mag. D. Epiphanius Gvarnera Abbas, Ordinis S. Basilii Magni.

AP-

APPROBATIO DIÆCESANA.

Epitome de Officiis Sacerdotum ac aliorum erga ſalutem parvulorum in utero exiſtentium per Perilluſtrem Adm Rdum Dnum Caſimirum Boiańſki Canonicum ac Judicem Surrogatum Vielunenſem, verè Apoſtolicum virum ex claſſicis Authoribus, concinne, dilucide elaboratum, a clariſſimis Eccleſiæ viris recognitum, non tantum Dominici Gregis Paſtoribus, verum etiam eorum ovibus ſummopere ſcitu neceſſarium luce publica dignum, imo omnibus Chriſti fidelibus commendatum eſſe enixe deſidero. Datt: Caliſſii 1789. Die 15. ſeptembris.

R. Joannes Widłak
per ArchiDiœceſim Gnesnensem Librorum Cenſor.
mpp.

JNDEX

JNDEX CONTENTORUM.

De

De

CAPUT I.

De Parochi, aliorumque Sacerdotum sollicitudine pro mulieribus prægnantibus, deque industriis ad abortus impediendos & Baptismo eorum.

§. 1mus.

℣. Quomodo Parochus abortus impedire debeat?

℟. Vel abortus sunt voluntarii in se, vel in causa?

Ad primos impediendos, oportet, ut Parochi apertissimis oculis vigilent, hujusmodi attenta coerceant præsertim in Concionibus, Cathechisationibus doceant, nun-

quam eſſe licitam procurationem abortûs etiam fætus inanimati quamvis Mater non ſolum ſibi ignominiam ſed & ipſam necem prævideret. Quare ſententiam oppoſitam Jnnocentius Undecimus ſub excommunicatione ſummo Pontifici reſervata damnavit. Quod ſi fætus ſit animâ informatus, id erit verum ac enorme parricidium, horrendumque, quod innocenti Filio vitam temporalem ſimul & æternam eripiat. Exponant graviſſimam pœnam Excommunicationis ejuſmodi criminis annexæ Epiſcopis reservatæ. Suſcipiant Patrocinium Juvencularum, quæ fortè illegitime conceperunt, ac de abortu ob timorem Parentum cogitant. Admoneant Parochianos, ut machinationes in procurationem abortûs quam citiſſime denuntient ſibi, Exhortentur Medicos, eos graviſſime peccare, ſi aliquam hac in re cooperationem faciant. Jn difficultatibus impedien-

di

di confugiant ad Jurisdictionem tam Ecclesiastici quàm Civilis Fori.

Ad secundos abortus impediendos voluntarios in causa. Patefaciant Parochi causas abortuum jam in Catechisatione, iam in examine Sponsorum ante denuntiationes. Quæ sunt sequentes, Prima: Mariti in percutienda vel vexanda uxore sævitia. Secunda: Mulierum imprudentia in arripiendis itineribus vel levandis ponderibus, quæ vires pro statu graviditatis excedant. Tertia: Non degustati cibi vel potiones, quorum libentiorem appetitum phantasia excitaverit. Quarta: Jntemperantia & vecordia, qua illæ propriæ Sanitatis & virium conservationem non raro contemnunt. Quinta: Rixæ, à quibus tristitia, terrores, iræ, persecutiones, aliaque infortunia oriuntur. Sexta: Jmmoderata jejunia. Unde prægnantes expleto tertio Mense ad jejunia non sunt obligatæ, imo a principio gra-

viditatis eximendæ ſi moleſtiam patiantur. Septima: Saltationes, choreæ. Octava: Veſtes ad elegantiam nimis anguſtæ. Jnculcent, Maritum vel uxorem graviter peccare ſi prædictas causas non evitent. Moneant Populum, ſæpè abortus contingere ex inopia, ſi gravidæ congruo alimentô aut opportuno medicamento careant; unde talibus tanto magis ſub gravi ex lege charitatis ſuccurrendum.

Notandum; Jnvoluntarios abortus aliquando contingere ex diabolica operatione. Contra tales abortus, Cereæ, Jcones, Agnus Dei nuncupatæ & ſimilia, verè Sacra à prægnante geſtanda laudantur: maxime autem indeficiens oratio ac ſolida Parentum pietas. Quæ remedia omnino commendanda pro felici partu, & impetratione gratiæ Baptismi parvulo.

Notandum ſecundo: Juxta hodiernam Medicorum modo ſcientifico-

ſicorum praxim plerumque remedia Matri propinata fætui non nocere. Si quidem his temporibus (ſi loquamur de miſſione Sangvinis) hic in minori ac antea quantitate mittitur. Purgationes non tam fortes & eradicativæ ut antiquiores adhibentur, hæc tamen fieri non aliter niſi cum conſilio Medici.

§. 2dus.

Quomodo per Parochum inſtruendus Populus pro caſu abortûs contingentis.

℞. Ignorantiam obſtetricum & Matrum, eſſe causam communiſſimam, cur in abortibus minutiſſimi parvuli etiam 40mo diei proximi ſine Baptiſmo, decedunt, quandoque in ſterquilinia projiciuntur. Heu! cujus obligationis erit hanc ignorantiam repellere? Parochi, o- omnino. Ad hunc etiam animularum harum cura pertinet. Sub gra-

vi

vi ad instructionem hac in re tenetur. Doceant primo oportet obstetrices, Sponsos, ritum baptisandi, sæpe enim contingit ut propter absentiam aliorum, Parentes ad baptisandos filios abortivos teneantur. Secundo: exponant probabiliorem esse sententiam jam experientiis confirmatam Recentiorum prudentissimorum Medicorum, tum Philosophorum docentem: fætum animari citius quam quadragesimo die prout sensit Aristoteles: Imo multos graves Authores sustinere, brevi post conceptionem animationem fieri. Unde nullatenus ejectum fætum esse negligendum, sed diligenter inspiciendum, utrum motu non sit præditus. Facillimum autem est in embryonibus motum circa vigesimum diem perspicere. Hyppoliti Chirurgi Monteregalensis uxor (prout habet author (a)) Anno 1727. abortiit, quæ tam bre-

vi

(a) *Lib: 1. Cap: 13.*

vi tempore utero gestaverat, ut ne quidem se antea prægnantem cognovisset: Cum autem sedulo perquireretur, quid nam effusum esset? inventus est fætus minimus à secundinis jam solutus magnitudine apis, ideoque juxta tabulas Embryonum die vigesimo nono non major; satis formatus erat pro ætatis ratione, totusque movebatur vitam ostendens. Eum Susanna Pagnotta rationali Spiritu certo informatum reputans absolute baptisavit, qui post decem horaria minuta mortuus in Collegiata Crucifixi sepultus est. Eritne igitur quadragesimus aut trigesimus dies expectandus? ut de baptismo deliberemus? Tertio: observato motu in fætu per abortum ejecto: quamvis dubium formari possit, utrum in fætu minimo ante perfectam organisationem motus proveniat ab anima rationali: baptisandum tamen esse sub conditione; ut succurra-

ratur modo, quo fieri poteſt, ſaluti infantuli. Quarto: imo etiamſi fætus ſigna motûs non ederet adhuc dubium eſſe utrum non vivat? Siquidem accidere poteſt, ut fætus internum ſangvinis motum habeat, etiamſi externum & progreſſivum ob defectum inſtrumentorum, brachiorum, crurum, non oſtenderet, aut fieri poteſt, ut vehementiori deliquio ſit defixus. Unde edocendi ſunt Parochiani regulam Generalem eſſe, quod ſemper fætus tam majores quam minores baptiſandi ſunt ſub conditione ſi vitæ ſigna non præbent, modo corrupti aut putrefacti non appareant evidenter; eo enim ipſo dubium eſt, utrum non vivant. Cathanæ Jlluſtris Matrona circa quadrageſimum prægnationis diem gemellos duos ejecerat. Unus iam putruerat, alter ita certe mortuus apparebat; ut Archiater Tezanna Comes Palatinus cultro ipſum diſſecuerit, ſed aperto

pectore ex motu cordis periodico viventem comperit, & illico baptisavit. Quinto; Instruant Parochi modum procedendi circa baptismum abortivorum & ipsi eundem observent in tali infirmitate invitati. Imprimis fætum ejectum, statim etiam secundinis involutum sub conditione *si capax es* baptisent. Quæ conditio respicit æque tam dubium, animationis & vitæ, quam dubium ne baptismatis validitati obstent secundinæ. Ideo autem non obstante hoc dubio accelerandum est baptisma, ne tempus absumatur cum periculo mortis ubi aeri exponeretur: Sic baptizato aperiantur secundinæ ipsæ & iterum baptisetur sub conditione duplici: *Si es capax, & si non es baptisatus.* Siquidem primum Baptisma propter obstantes secundinas dubium? juxta Theologos, utrum valeat? Hujusmodi autem minimi abortivi, satius per immersionem in aliqua patina bapti-

ptisentur: Nec timeat Sacerdos irregularitatem propter mortem ipsis maturatam. Nam certum est, propter immersionem, Embryonem non suffocari: Nam & sic Embryo in quodam liquore sub secundinis, sine respirationis indigentia natare consvevit.

Notandum: Quo modo dignosci possit post abortum, an vere sit embryo, an mora vel Sangvis grume factus? Respondet Florentinianus Disputatione secunda Romæ edita & examinata. „ Sive igitur „ primis diebus, sive sequentibus, „ intra trigesimum, aut etiam qua- „ dragesimum diem discernendum „ sit, quidquid immature ab utero „ effusum est, sive grani hordeacei, „ aut minoris phaseoli, sive majo- „ ris formicæ, aut nucis avellanæ, „ sive apis aut grandioris muscæ, „ sive etiam minimi digiti, magni- „ tudinem exæquet, hanc esse regu- „ lam status: Ut quando internus

ho-

„homunculus ob sui teneritudinem
„membranam nequivit abrumpere,
„& se ipsum prodere, si involu-
„crum illud effusum appareat, mem-
„brana circumdatum, quæ sit subal-
„bi coloris, similis intestinis, figu-
„ræ ovalis, & quæ digitto tacta mol-
„lescat, & cedat, quia peritorum
„observationes & documenta veri
„fætus, notas esse contestantur;
„tunc prudenti judicio pronuncian-
„dum est, fætum esse, non molam;
„Et quia hoc judicium morali cum
„certitudine conjunctum est, de
„subjecto sensibili & digito demon-
„strabili, atque ideo de subiecto
„Sacri Baptismi capaci, jam con-
„stat; quia ex huiusmodi signis co-
„gnoscimus, fætum esse talem, ut
„in eo prima rudimenta vitæ, in-
„tus existant. Si vero illud quod
„ex utero mulieris abortientis e-
„gressum est, sit caro informis,
„nigris venis, & sangvineis intexta
„ad aspectum scabra, ad tactum du-

„ ra, vel etiam vario colore infecta,
„ procul dubio molam esse, & fru-
„ straneam genituram, non fœtum
„ judicabimus, & nullatenus bapti-
„ sari oportet & multomagis si ex
„ utero sangvis grumefactus, seu
„ carunculæ exierint.

Notandum secundo. Quamvis ad baptismum abortivorum minimorum, in praxi, ante decisionem Ecclesiæ nemo sub mortali obligatur, quia tamen & ratio & experientia gravium Virorum edocet, citius animari fœtum, iam modo constare; & Rituale Pauli Quinti præcipit: fœtum esse baptisandum, si vivus sit? non determinando tempus: sed potius determinandum prudenti Ministrorum judicio reliquendo. Proinde cum prudens Judicium Ministrorum Christi formari potest ex novissimis Philosophorum, Medicorum observationibus, & ex-

pe-

perientiis, citiùs quam communiter putabatur, animari fætum, periculosum nimis eſſet denegare Baptiſmum fætibus, ante quadrageſimum diem ejectis, aut poſt mortem, ſecta matre extractis.

CAPUT II.

De auxilio infanti nonnato præstando Matre defuncta.

§. 1mus.

1mo. Ante omnia necesse est, Parochos in Concionibus, Catechesibus populum edocere, quod, ubi mulier certo vel probabiliter prægnans vita periclitatur: ejus domestici, parentes, consangvinei, affines morte non expectata rem Parocho citius denuntient: ut hujus cura statim decedente Matre, partus cæsareus, hoc est: incisio ventris instituatur ad infantis baptisationem, vel si sit nativitati proximus vg: Septimestris aut Octimestris, ejus vitæ conservationem.

2do.

2do. Ad talem incisionem obligat Rituale Romanum Tit: de Bapt: Parv: *Si Mater prægnans mortua fuerit, fœtus quàm primum cautè extrahatur: ac si vivus fuerit baptisetur.* Deficientibus propinquis, denuntiare Parocho vicini tenentur sub gravi de prægnatione moribundæ.

3tio. Parochi ipsi Sacramentis moribundam maritatam munientes, sollicitè examinabunt, utrum utero gerat? Atque hæc inquisitio multò magis adhibenda, ubi prudens metus, vel suspicio oriatur occultæ Virginis imprægnationis. Ubi verò nullis in foro externo datis indiciis, in confessione accusaret se Juvencula de carnalibus, & de graviditate subsecuta, inducenda erit ad rem extra Confessionem sibi detegendam: ut in mortis eventu æterna pueri perditio impediatur; hæc enim infinitè Matris infamiæ præponderat. Si autem renueret, nul-

nullo modo abſolvenda eſt: uti diſertè docent Sylvius, Pontas, aliiq; Theologi. Pollicebitur tamen Confeſſarius, ſe non niſi pænitentis morte jam ſubsecuta domeſticis ejus graviditatem indicaturum.

4to. Diligenter curabit Parochus Chirurgum opportunè accerſiri, ut ſecum uſque ad mortem prægnanti aſſiſtat. His deficientibus Obſtetrices peritæ hoc implere poterunt. Unde ſemper admonendæ, ut novaculam apud ſe domi retineant, quo facilius urgente neceſſitate inciſionem inſtituere valeant: poterunt hæ addiſcere praxim in mortuis quadrupedibus, porcis &c. Si autem Chirurgus vel alius quiſpiam gravidam mortuam incidere abſque ſtipendio nollet, ad hoc tenentur propinqui. Si hi ſint pauperes, teneri Parochos de proprio: cum nulla ſit unquam magis præcepta eleemoſina.

No-

Nota: Si agatur de incisione Mortuæ gravidæ infidelis: hæc etiam Patre recusante, si potest, instituatur. Jn extrema enim æternæ salutis necessitate licitum est ex communissima Doctorum sententia baptisare filios invitis Parentibûs.

Jtem, si prægnatio Parocho post gravidæ sepulturam innotescat, etiam sine ullo recursu è sepulchro educi demandet. Jta se gessit Pater Francisci Aville, qui cum altero die ab uxoris humatione domum rediisset, Franciscum cæsareo partu liberavit. Bruchier de incert: sign: mortis tit: 1. cap: 1. §. 10. fol: 277.

§. 2dus.

De præparatoriis ad partum Cæsareum deq; mortis comprobatione.

1mo. Adveniente morte prægnantis, in moribundæ conclavi obstetrix cum duabus tantùm, vel ad

ſummum tribus fæminis prægnanti familiaribus conſiſtent; ne multitudo confuſionem pariat. Præſente quoque Parocho ut pote circa mortem hortatore & ſolatore. Cæteri, Chirurgus, Propinqui &c. in alio cubiculo orent; interim Mulieres præparabunt ampullam aquæ pro Baptiſmo, quam convenit eſſe tepidam, ne infantis teneritudini noceat. Expedit etiam ignem accendere, eo enim casu curandum eſt maximè, ut prægnante mortua lineis pannis ad ignem calefactis uteri calor foveatur. Alii monent etiam parandam fiſtulam ſeu tubulum arundineum utroq; nodô reſecto.

2do. Verùm hic oportet ſcire, quod ſæpe gravidæ, dum extremum agunt Spiritum, pariunt propter naturæ convulſiones. Cum Subaucæ in Diæceſi Agrigentina 13tia Novembris Annô 1746to quinto geſtationis Mense diſſecta poſt mortem

tem fuiſſet Alberta Cacioppa: uterus apertus, repertus eſt vacuus: quæ res ob prægnationis certitudinem magnæ admirationi fuit adſtantibus. Verùm deinde fætus inventus eſt ſub lecti ſtragulis de ſe quidem natus, at ex indiciis paulò ante defunctus.

3tio. Synodus Colonienſis Annô 1528vo & Camaracenſis Annô 1550. & Ludovicus Mercatus de Mul: aff: Cap: 3tio jubent mortuæ prægnantis ori ſtatim & ante ſectionem immitti fiſtulam arundineam, de qua ſupra. Negant eam neceſſariam eſſe aliqui ſolidæ rationi innixi, quod ſcilicet infans in utero vel non reſpirat, vel ſolum àërem, ſecundinis, vel ſi hæ ſint laceratæ, utero, clauſum reſpirat. Uterus etenim & ſecundinæ nullam habent communicationem cum Matris ore. Sed quidquid ſit, fiſtula adhibenda vel ideo: ut àër nitidior in maternum corpus admittatur & viſcera

effluvia cadaverica exhalent, quæ tenuem in puero vitæ flammulam extinguere possent.

4to. Quod vero ad tempus partus cæsarei adoriendi: Inquit Rituale Romanum: *Si Mulier prægnans mortua fuerit, fætus quam primum cautè extrahatur.* Ex quo liquet ad hujusmodi sectionem expectandum esse, ut gravida ex seipsa occumbat: ac postquam de morte gravidæ certo constiterit, exnunc incisionem instituendam.

5to. Cavendum tamen, ne gravida censeatur mortua, quamvis adhuc vivat. Unde mors bene comprobanda. Ad quem finem, si mors non est repentina, sequentia signa mortis inservient. 1mum. Faciei immutatio, quæ ordinarie induit colorem pallidum, plumbeum, vel croceum. 2dum. Corporis pondus nimium, evanescentibus scilicet spiritibus, qui priùs illud mobilius & leviùs reddebant. 3tium. Licet non

omni-

omnino necessarium est, frigiditas Corporis, quæ tanta ex Feifero sit Theatr: Crit: tit: 5. disc: 6. §. 8. n. 27. ut illam rami arboris trunco recenter excisi & in eodem aere, quo mortuus jacet, collocati exactissimè indagatam coæquet. 4tum validissimum, est membrorum rigiditas & inflexibilitas etiam ante calorem deperditum. Quoniam verò datur syncope convulsiva, quæ etiam membrorum inflexibilitatem præfert, hæc differentia statuitur: 1mo. Quando inflexibilitas membrorum mortem subsequitur, ipsam tunc pro signo mortis haberi, cum autem cum morte putata passu venerit, Symptoma erit convulsivum. 2do Clarius: Quando rigiditas, seu inflexibilitas membrorum ex convulsione orta est, penè impossibile erit membrum cogere ad motum contrarium illi, ad quem fuit ab actione musculorum convulsiva determinatum: quod si for-

fortè compelleretur, nihilominus deinde sibi relictum ad locum pristinum magna vi subitoq; rediret. Quando autem præfata inflexibilitas ex vera accidit morte, faciliùs membra ad hanc vel illam partem inflectentur & paulatim ad suum situm redibunt. 5tum. Mortis signum & præ cæteris validissimum, est pannus vitro similis, qui in ipso mortis agone incipit efformari, & in mortuo super oculorum corneam brevi coalescit, ita ut frequenter pupillam ipsam occultet, & imaginem jam non repræsentet objectorum.

6to. Si autem mors repentina supervenerit major est difficultas comprobandæ mortis. Sub hac classe mortis continentur vulnera, fulminis ictus, apoplexiæ, strangulationes tam ex laqueo, quàm ex fumo carbonum ac similium, item submersiones, histeriæ &c. Unde in talibus casibus mora aliqua pruden-

dentum arbitrio erit necessaria. Tradunt aliqui in talibus casibus expectandum esse, ut septuaginta duæ horæ præterlabantur, si certa mortis signa non appareant. Nihilominus in causis mortis etiam subitaneis, ubi naturalia signa supra numerata adsunt, de morte non est dubitandum. Ad uberiorem tamen cautelam flamma candelæ leviter naribus defunctæ gravidæ admovenda, an aliquem sensum ostendat. Jncisio etiam leniter, instituenda per lineam longitudinalem cum morulis, ut si fortè quod cavit Senatus Venetus, prægnans resiliat & Chirurgus resilire & illa sanari facilius possit.

§. 3tius.

De Praxi partûs Cæsarei Defunctarum.

1mo. Ubi mors gravidæ satis est explorata, sectio sine mora instituenda est. Duæ ex adstantibus fæmi-

minis illico eam convenientiori situ supinam supra mensam vel ipsum lectum collocabunt, eamq; ne commoveatur, manibus detinentes; Chirurgus sive Obstetrix, sive alius quispiam manu tentans diligenter inquiret, ubi sit fætus, utrum non proximus parti extimæ ventris inferioris, ut sciat se gerere circa majorem vel minorem vulneris profunditatem. Tum scalpro chirurgico recurvo, vel cultro, vel novacula incidet, incipiens paulò supra umbilicum, sed parumper à latere, ut umbilicus ut pote secatu difficilis evitetur, descendetq; per lineam longam usque ad superiorem partem pubis, cæsura sufficienti ad discindendum non solum pellem, verùm etiam carnem, quæ non excedit profunditatem unius digitti cum dimidio. Exigit tamen prudentia ut incidens supponens semper minorem crassitiem in incidendo cautissimè procedat.

2do.

2do. Diſciſſa carne in conſpectu ſe ſe dabit magna abdominis membrana, ut plurimùm craſſitiem habens vel firmioris. Chirurgus illam leniter incidet, nam tenuis eſt, & digittum ſiniſtræ manûs introducit, ut eodem inſtrumento vel forſicibus cautius cæſuram dilatare poſſit. His peractis, & inteſtinis manu à parte diſſecanda amotis apparet uterus: ejus verus ſitus eſt medius inter veſicam urinariam & rectum inteſtinum, ſed in gravidis magnitudine auctus diſtenditur, comprimitq; veſicam; quare ad inveniendum uterum non eſt opus eam diſcindere. Quod ſi prægnatio non multum proceſſerit, cura erit periti Chirurgi veſicam pro utero non accipere, ſed hunc in antedicto ſitu invenire. Quod ſi ſectioni Matricis veſica urinâ tumens obſtaret: aperienda primûm hæc eſſet, ut urinâ diffluente impedimentum tollatur. Sic inventus uterus leviter

ter cautè incidatur ne lædatur infantulus. Qui se offert aperto utero secundinis circumvestitus. Secundinæ autem facilè dignoscuntur: videntur enim ex confusa venarum suarum multitudine sangvinem veluti emittere, & manu ipsa lacerantur, vel si duriusculæ sint, scalpro vel forficibus scinduntur.

4to. Infante laceratis secundinis detecto; si Chirurgus morti proximum reperit, non illum extrahit, sed in ipso ventre adhuc existentem curat illico baptisari: at si vivacem agnoscit, resecto funiculo umbilicali ab utero tollit, & Parocho præsentat, qui eundem statim baptizet: non enim expedit eum ad Ecclesiam deferre, nam cum partus non sit naturalis, periculum subest, ne interea decedat. Sacramento collato Chirurgus funiculum ligat umbilicalem in distantia duorum digitorum ab umbilico, eundemq; funiculum ad dimidium digit-

gitto ſupra ligaturam ipsam denuo recidit, ac diligentiſſimè os parvuli aperit, naſumq; detergit, ut reſpiratione utatur faciliori. Inde ipſum refovet, ori ejus & naribus vinum vel aquam vitæ, ſimilemq; liquorem admovendo: tum caleſacit halitu ſuo vel ſimplici, vel etiam vino aut ſpiritu vini, ore detentis, roborato, illiusq; faciem vino calido lavat: demum obſtetrici vel alteri expertæ mulieri tradit, mandans eum pannis calefactis involvi, & ante dictis auxiliis confortari.

5to. Si verò de infantulo jam extracto dubitetur utrum vivat, manus capiti imponatur, ubi fons pulsatilis reperitur, vel ſiniſtræ parti circa cor: ac ſi pulſatio percipitur ſubitò & abſolutè baptiſetur. At ſi non ſentiatur pulſatio nec reſpirium nec motus: attamen deſit putrefactio aliaq; certiſſima mortis ſigna, ejus exanimatio certa non e-

rit, ſed dubia: illico ſub conditione baptiletur; Fætus enim ex nimia debilitate ſæpe mortuus omnino videtur, qui non niſi æger eſt, vel ad ſummum moribundus.

7mo. Sed ut ad Chirurgum redeamus, animadvertat hic: infantes non ſemper in utero inveniri. Conceptio enim quandoque non naturalis eſt, ſed vitiosa. Celebre quidem factum eſt Toleſanum Prægnante Nonimeſtri mortua, & à Chirurgo diſſecta visus eſt uterus grandis ſangvine ſolùm grumoso & nigricante plenus. At cum totum abdomen aperuit in ſiniſtro latere ſub omento ſeu reticula infantem adinvenit. Mangetus quoque Theatr: Anatom: p. 2. lib: 2. cap: 3. fusè plures enarrat vitioſas conceptiones a Scriptoribus oculatis teſtibus relatas: nimirum tres in abdomine, quatuor in tubis, ac tres etiam in ovario. Imo Ephimerides cum Heiſtero puerulum

lum afferunt in vesica urinaria detectum. Si autem pro fœtu mola inveniatur, hæc non deserenda, sed dissecanda. Etiam in tali fætum latere experientia docuit aliquando.

8vo. Extracto uno infante Obstetrices & Chirurgi monendi sunt, ut investigent, utrum alius, sive plures infantes ex superfœtatione extrahendi supersint, & baptisandi.

9no. Vitandas quidem esse moras in cæsareo partu: eum tamen, etsi notabile tempus a morte matris effluxerit, non esse omittendum, cum fætus etiam per dies integros supervivere possunt. Sanctus Gildas junior post diem circiter a Matris nece in utero vivens repertus & extractus est. Bolland: 29. Junij in vita S. Gildæ. Post quadragintâ octo horas filiolum ex occisa à viro suo Muliere adhuc vivum, quamvis pede per uterum cnos-

fos-

fossum, vulneratum, extractum esse certum est. Ex relatione Petri Cumarini Presbyteri ac Testis oculati Annò 1748. Imò multoties contingit infantes suis conatibus ex mortua Matre ortos. Sic Gorgia ut r fert. Valer: Maxim: lib: 1. natus est ex matre defuncta jam ad sepulchrum ducta, ejusque vagitus steterunt Vespillones.

10mo. Sed quæri potest: utrum mortuæ prægnantes, incidendæ sint graviditate incipiente etiam ante quadragesimum diem?

R̸. Quamvis & experientia & rationibus solidis constet, citius fætum animari: sed quia de graviditate, mense non elapso, non constat certò, neque ipsæ mulieres ante mensem indubitanter eandem affirmant, neque Ecclesia ante quadragesimum diem præcipit: usquequo Deus rem clariori luce affundat: non est damnandus Parochus peccati mortalis, incisionem ante diem

qua-

quadragesimum post conceptionem non urgens: peccat autem sic graviter, si etiam post mensem circa quadragesimum diem gravidam mortuam non curat incidi. Porro si prægnans doctrinam hanc de cura nonnatorum audiens mandaret post suam mortem partum cæsareum, vel consangvinei postularent, poterat in praxim deduci maximè a vigesimo conceptionis die & tantò magis proxime trigesimo. Post quadragesimum diem Parochus neque defunctæ necessariis, neque Chirurgis & Obstetricibus asseverantibus fætum non esse vivum, fidere debet, sed omnino incisionem demandare; Nemo enim certò scire potest illum revera decessisse.

11mo. Jn praxi, rarò fætus mortuos incisa matre inveniri, modo incisio non differatur, sed statim comprobata morte instituatur. Unde Jgnatius Chirurgus Monteregalensis in sua relatione ad Authorem

rem transmissa, de partubus cæsareis à se factis testatur: De data Jdibus Maij Annò 1747mo Monteregali. = Illud autem notatu dignissimum reputo: me nempe in tot incisionibus, tametsi non omnibus illico post Matris fatum peractis, nullum usque modò infantem vidisse præmortuum: atque idipsum similiter Chirurgo Corleonensi in tredecem circiter incisionibus ab eo factis contigisse.

12mo: Petrus item Cummaranus Presbyter Caltanisectensis, qui zelo puerorum nonnatorum ab ipsa juventute fervebat, hæc Authori, legens primam Libri ejus editionem Die 13tio Calendas Septembris Annô 1748. significavit. I. Caltanissectæ partum cæsareum ab antiquo in moribus esse: ac propterea mulieres ipsum nullomodo abhorrere. II. Se ab Annô 1704to. scilicet ante annos quadraginta quatuor partus cæsareos procurasse, &

ca-

calumnias ab Æmulo ſibi ea occaſione intentatas, Anſelmo la Pegna Epiſcopo Agrigentino protegente & hortante ſuperaſſe imo ſprevisse. III. Sexaginta partus Cæsareos à ſe promotos, ex his quinque tantum vel ad ſummum ſex ætibus ante demortuis feſelliſſe. IV. Ex omni ætate vivos reperiſſe fætus, in his verò unum, qui quadrageſimum diem non excedebat. V. Demùm inventionem narrat viventis pueruli, de quo ſupra, poſt horam 8vam ſupra 40mam à prægnantis occiſione. Conſonant his relationibus & aliæ Parochorum & Chirurgorum Delationes ad Authorem datæ.

13tio. Neque quid valet in contra, poſt tanta experientiæ documenta nonnullorum cum Sanchez opinio: San: de Matr: l. 9. diſp: 20 nro. 17. & 18. Qui fætum ex eo præmori Genitrici putaverunt, quòd eidem maternus morbus neceſſario

communicetur. Siquidem hanc communicationem non ſemper fieri & experientia manifeſta & ratio evincit. Etenim ſi prægnans apoplexia vel viſcerum inflammatione vel ulceribus affligitur, quid hoc ad fætum? Quod ſi morbus exiſtat in ſangvine, quamvis facilius non tamen neceſſariò fætui damnum affert. Cum plerique negant mutuam inter fætum & Matrem Sangvinis derivationem. Et hac admiſſa ſicut in natis ſangvis vitiatus in aliqua ſolùm noſtri corporis parte morbum inducit, etſi totum circumeat Corpus; non verò omnino ſimilem ubique morbum generat: ſic & in matre morbum cauſans, non omnino fætum afficere debet. Præſertim quod Sangvis, qui fortè a Matre in infantem derivatur, antequam ad vitalia ejus organa perveniat per placentam primò, dein per vaſa umbilicalia permeando depuratur.

14to. Nec cessatio maternæ respirationis erit fætui causa mortis; nam sine illa sangvinis motus in eo perseverat. Vel enim in utero non respirat, ut pote cuidam liquori innatans, vel solùm levissimè, idq; solùm àëre uterô clauso. Siquidem inter fætum & organa, quæ respirationi Matris inserviunt, haud intercedit communicatio. Unde quod aliqui suadent, ut fistula mortuæ gravidæ ori imponatur, hoc non ad respirationem infantis, sed potius ad exhalationem humorum cadavericorum. ne proli noceant, prodesse poterit.

15to. Nec item alimentum infanti potest tam cito deficere, ut hic morienti matri commori debeat. Quia in hoc liquore, quem sugit pro cibo, innatat, item quia morte non obstante Matris, potest illi à placenta suppeditari. Placenta enim, præterquam, quòd eo tota

referta eſt, poterit & immediate ipſum ex canalibus uteri inbibere.

§. 4tus.

De Officio Magiſtratuum Eccleſiaſticorum & Sæcularium in promovendo partu cæsareo, de cogendis Propinquis ad illum permittendum.

1mo. Cum certum ſit propinquos ac domeſticos, ubi inciſionem negligerent vel prohiberent, peritos verò ubi exequi recuſarent vel differrent, peccare lethaliter: Parocho omni ope nitendum eſt, ne mortua ante ſectionem ſepulturæ demandetur: ſecus agens, ubi ſaltem fætus potuerat eſſe vitalis, equidem non video, quomodo ab irregularitatis pæna ſit eximendus, propter mortem culpabilem infantis, quam ex officio tanquam miſerabilium Pater impedire tenebatur.

2do.

2do. Parochus ergo, ſi quando domeſticos vel Chirurgos in tali casu repererit repugnantes. 1mo. Divini Judicij ſeveritatem interminabitur propter neglectam ſalutem infantis, exponet, illos fore causam æternæ perditionis animæ &c. Si pertinaces fuerint ad Epiſcopum vel ejus Officium ſive etiam ſæcularem Juriſdictionem confugiat illico, ut tam conjunctos quàm Chirurgos atque alios tempeſtive compellant. Meliùs autem ante mortem gravidæ, de hoc negotio cum Propinquis tractet, ut intelligens renuentes, citiùs impedimentis occurrere poſſit. Deferet autem Parochus ad Epiſcopum contumaces non ſolùm ut cogantur, verùm etiam ut dein pænis canonicis puniantur, ſi propter obſtacula vel partus cæſareus omiſſus, vel ſi fortè peractus quidem, ſed in caſſum parvulo, ſcilicet propter moram interea defuncto. Teſtes tamen ſibi roga-

gabit Parochus de diligentia & exhortationibus à se adhibitis, ut postea pateat, eorum culpâ infantulum periisse.

3tio. Magistratus etiam sæculares arctissima obligatione ac sub peccato mortali ad auxiliare brachium hac in re adstringuntur. Imò juxta Jus commune à priscis Romanorum Regibus emanatum, eos, qui gravidam non facta prius excisione sepeliunt, veluti si Matris simul & fætus homicidæ sint, supplicio addicent: *Spem enim animantis cum gravida peremisse videntur*. Fæltmann de non humanda muliere quæ utero gerit. Lib: de Cadav: inspic. Prætereà obligationem habet Magistratus promovendi partum cæsareum propter alia bona sine dubio non contemnenda: Ut scilicet Chirurgi & Obstetrices figuram, magnitudinem & constitutionem inspiciant abdominis & uteri situm, situm quoque fætus in eo, secundinarum dispo-

ſpoſitionem, earumq; cum utero ipſo medio funiculo umbilicali & placenta connexionem. Quæ notiones ad alias puerperas adjuvandas erunt utiliſſimæ. Ex cæſareis quoque inciſionibus deprehendi faciiè poteſt: utrum inepta Chirurgi vel Obſtetricis manus cauſa fuerit mortis in parturiente, quo caſu à Magiſtratibus mulctari poſſent, aut ſaltem seriò moneri, ut accuratius artem addiſcant.

§. 5tus.

De Parochi Cbligatione ad inciſionem hujusmodi promovendam.

Verùm equidem eſt, quod in tali caſu poſſit Magiſtratus, imò debeat cogere ad inciſionem eos, qui operationi huic aptiores arbitrabitur, ſolertem virum, mulierem anitur, ſolertem virum, mulierem anicosam deficiente chirurgo: ſicut poteſt publica poteſtas, ubi deeſſet

ſet carnifex ad obeundum ejus munus alium compellere. Sed dato casu, ubi nemo reperiatur qui inciſionem exequi poſſit vel velit: quid tum conſilii capturus erit Parochus? ſinetne fætum vivum cum matre ſepeliri? Tanto erit ille animo, ut æternæ perditioni derelinquat puerum ſuæ charitati & curæ commiſſum? Jpse igitur aliquem ex Miniſtris Eccleſiæ aut ſuis ad talem inciſionem adiget informabitq; vel ipſemet deficientibus omnibus pro ſalute infantis inciſionem aggrediens officium charitatis explebit. Jta in Edictis ſuis (prout ſcribit Author) pro Diæceſibus ſuis monûere Catanenſis & Agrigentinus Epiſcopi. Etenim quis neſciat, ſi de præcepto non exercendi Chirurgiam ſermo ſit: illud non obligare in tam extrema & inevitabili animæ corporisq; neceſſitate? Si verò de irregularitate quam ex defectu lenitatis appellamus, hanc

non habere locum nisi in occisionibus vel mutilationibus vivorum corporum. Nec durum aut indecens aliquibus fortasse id videatur, cujus obligationem utpote in extrema necessitate, Theologica probat ratio: Lex charitatis compellit juxta doctrinam & exemplum Christi, ut proximi vitam spiritualem nostræ corporali anteponamus: Ergo cum juxta Doctores onus sese conjiciendi in mortis periculum majus sit onere aliqualis molestiæ, hæc subeunda pro commodo spirituali infantis. Nec propter periculum tentationis incisio omittenda: eum etenim, qui divinæ voluntati obtemperans, ut suo muneri satisfaciat, periculum subit, Dei Omnipotentiam & ubique tutelam experiri. Sacerdos (ut refert Joan: Mosch: in Vitis SS. PP- apud Eribertum Rosweid lib: 9.) in Græca unita Ecclesia, ubi plures corporis partes in Cathechumenis baptisandis etiam mulieribus

bus inunguntur cum a ſibi commiſſo grege propter metum periculi in ſervando ritu aufugeret: S. Joannes Bap: ſe viſibilem illi præbuit & fugam reprehendit. Unde notatu dignum, quod Conſtantienſis Sacerdos obſtetricis Officio ex charitate functus eſt Steph: à S. Paulo in editt: 3. Theol: Mor: tract: 3. Cum enim iter agens a puerpera non procul à ſemita jacente propter ſæviſſimos partus dolores & Matri & proli periculoſiſſimos invocaretur. Paruit precibus atque utrumque ſervavit invitus in vita, & licitè & neceſſariò. Factum hoc ſi ferat ſimilis occaſio & neceſſitas, imitandum. Animadverte tamen: an non poſſis in tali caſu ſine periculo parturientis aut fætûs imitari quendam ex mia doctrina prudentiaq; Parochum, qui prope pagùm Volmedingam Urbi Conſtantienſi vicinum cum incidiſſet in ejuſmodi parturientem & rogaretur opem; reſpon-

reſpondit: ſe fortè potius obfuturum ſi tentet; at verò celeri paſſu perrecturum ad pagum, miſſurumq; peritiores.



CAPUT III.

De Partûs difficilis Circumstantiis.

§. 1mus.

De Partu difficili & cæsareo gravidarum viventium.

1mo. Jnfans maturus ſive ob alimenti defectum, ut quidam voluêre, ſive ob excrementorum copiam ut alii, ſive ob neceſſitatem, qua premi incipit, aëris amplioris motu valido & calcitratu, matre quoque impulſu ſuo obſecundante extra maternum clauſtrum proſilire conatur. Jd autem parturiens ipſa nonnunquam ſuis tantùm viribus, ac ſine externis auxiliis ægerrime, quinpla-

planè non conſequi valet. Propte-reà ante omnia valdè prodeſt parturientem locare in ſcamno ſeu ſede partui deputata. Verùm hæc ſæpè deſideratur in pagis, quocirca non leve opus eſſet miſericordiæ, ſi Parochus huic commoditati provideret, vel ut alii provideant procuraret: quod quidam primam Authoris editionem legentes præſtiterunt. Jn talis ſedis defectu præcipit Heiſterus Chirurgus Clariſſimus duas invicem vulgares commodasq; ſedes funiculis uniri ſpatio inter eaſdem ſex vel octo pollicum relicto. Cum autem in oppidis & villis per ſæpe Obſtetrices nihil magis ignorant quam artem obſtetricandi. Quocirca malè ſe gerere admonendæ ſunt, quæ membranas dilacerant, excepto caſu quo parvulus jam jam moriturus baptiſandus eſſet, vel ob chorii craſſitiem ipſum nequiret abrumpere. Unde prudentiori conſilio alibi pro

ob-

obſtetricibus adhibentur ovium Peſiores propter peritiam in adjuvandis ad partum oviculis acquiſitam. Præſtaret nihilominus ſi Obſtetrices a Chirurgo artis obſtetriciæ gnaro, a Magiſtratibus deſignato: exactiſſimè hanc artem edocerentur. Notandum (ut in Sicilia multoties viſum) aquam gelidam affatim aſſumptam a parturiente, præſertim quæ nive ad vivam carnem circumsepta ſit, partum fere infallibiliter extricare. Medici item in partu difficili ad orificium ſuperius inferiusq; vaginamq; uteri dilatandam inſtrumentum adhibere ſolent, quod ſpeculum Matricis appellant, ſed hoc aliquando læſionem utero infert. Unde magis celebratur inſtrumentum ad infantem vivum extrahendum dictum capitis tractor. Hoc inſtrumentô Gregorius Pariſienſis Chirurgus Spatio duodecem annorum ultra ſeptuaginta fætus viventes extraxit vivos.

2do. Si verò neque istud proderit instrumentum, ut in mala ossium in Matre conformatione, quid faciendum? Ne in desperato partu infantuli pereant. Medici viventis gravidæ incisionem ventris atque uteri, sicq; extractionem fœtûs per latus ventris incisum proponere ausi sunt; quæ quamvis Matri periculosa, nihilominus semper ad filiolum servandum, saltem ne sine baptismo decedat, necessaria. Præsertim si Chirurgus adsit: aliàs si ob defectum perfectissimi Chirurgi vel debilitatem Matris, mors ejus quasi certò consecutura supponeretur: a tali incisione omnino abstinendum. *Non enim sunt facienda mala ut eveniant bona.* Verùm praxis perfectorum Chirurgorum & Matres & infantes incisione ventris servarunt multoties. Sic Josephus insignis Chirurgus Panormitanus Epistola 7mo. Calendas Martij Anno 1747mo Parisiis data significavit Authori se

duos

duos ibi cæſareos viventium partus vidiſſe. Similiter narrat è Sabaudia Pellaire, quandam Maupam ſexies feliciter incisam. Nota non ſolùm abdomen verum etiam manu remotis inteſtinis uterum feliciter incidi experientia docuit. Si autem parvulus in utero mortuus eſt: non eſt incidenda mater, ſed ille potiùs ferramentis aliiſq; inſtrumentis eſt extrahendus. Moneant tamen Parochi Chirurgos, ne unquam arripiant ferramenta niſi infantis mors juxta ſuperius dicta ſit exploratiſſima & certiſſima.

3tio. Unde magna cautelâ Chirurgis opus eſſe ad diſcernendam veram infantis in utero matris exiſtentis mortem. Bruhierus tit: 1. fol: 580. ſolam putrefactionem eſſe mortis characteriſticum ſignum in infantibus opinatur, quam ordinariè fætor cadavericus conſequitur. Solus enim fætor in naſcentibus non

ſem-

ſemper mortis ſignum eiuſdem erit: ſiquidem hic pervenire nonnunquam poteſt à materno ſangvine liquoribuſq; uteri putreſcentibus, aut à partiali gangræna, qua ex aliqua parte aliquando laborare infantes deprehenduntur. Sic celeberrimus, quamvis Chirurgus Bernenſis Fabritius Childanus pridie nonas Septembris anno 1605. ſibi contigiſſe in Epiſtola ad Amandum Polan: teſtatur: Quod cum Murati Matrona quædam honeſta per dies ſex parturientium doloribus laboraverit, ſignaq; nonnulla mortui in utero infantis adeſſent. Præcedenti enim die fætus moveri ceſſaverat, ita, ut neque poſtea parturiens ipſa, neque Obſtetrix motum ullum perceperint. Vertex quoque capitis hujus infantis cùm paulatim ſe in conſpectum dediſſet, corruptus erat, fætor quoque aderat. Ex his & nonnullis aliis ſignis fætum mortuum eſſe concluſit ſed malè, vivum

enim eum tandem extraxit, ulcere quamvis in capite infectum ac fætidum.

§. 2dus.

De Baptismo parvulorum in utero in difficillimis partibus.

1mo. Equidem Rituale Romanum dicit: *Nemo in utero Matris clausus baptisari debet.* Alias frustra quis maternum uterum clausum lavando infantem baptisare affectaret. Unde dum hic dicitur de Baptismo qui in utero parvulo conferri possit, dicitur pro casu, quo jam partu inchoato uterus aperitur, patescitq; matricis orificium: protunc enim infantulus manu Obstetricis tangi potest: ut pote qui jam se se agitans & vim faciens secundinas disrumpit, aut has in extrema necessitate forficibus vel ungvibus disrumpere obstetrix potest.

2do.

2do. Jnstante igitur partu ac secundinis laceratis certum profectò est infantem physice baptisari posse: ut omnes hodie Medici atque Chirurgi asseverant. Id etiam referente Pignatello Parocho Urbis testatæ sunt Romanæ Obstetrices Congregationi ad eas examinandas a Cardinali Vicario designatæ, & id ipsum ab expertis Panormitanis Obstetricibus Author accepit. Quamvis autem pleriq; Canonistæ ac Theologi Antiquiores Baptismum talem nullum esse sustinerent: tamen hunc esse validissimum innumeri sanè Theologi docuêre: Præ cunctis verò Gabriel Gualdi Clericus Regularis, Martinus Orellius, Boverius & Bountinius aliique.

3tio. Baptisantur autem non difficulter vel aqua cavo manûs imposita dexterè ac diligenter immissa, vel spongia aqua plena vel par-

vo cochleari vel tandem in casibus diffi'ilioribus siphunculo: utilitè docuit Franciscus Mauriceau, qui propterea partum Cæsareum in vivente damnabat. Lib. 2. c. 32. pag: 264. Qui tamen justè praᶜticatur: cum soleant dari Conceptiones extraordinariæ, in quibus infans manu Obstetricis tractari nequit: aut si aliter Mater salvari non possit.

§. 3tius.

De Mon'tris bapt'sandis.

Monstrorum plurimæ sunt species. Nam alia sunt bruta etsi à muliere orta, alia bihomines, alia semihomines & semi bruta; alia homines, at membris aliquibus redundantibus, vel deficientibus vel deformibus turpia. Causæ autem horum sunt: Virilis seminis pravitas, Mulierum phantasia, Animali-

malium ovula in Cibis ſumptis fortè in mulieris matricem pervenientia, Concubitus inordinati ac nimia Conjugum luxuria, divina demum miracula. Quæri itaque hic poteſt: quando nam monſtrum reputari debeat, anima rationali informatum, ut illud legitimè baptiſemus? Et quando anima ſit una vel duplex ut unum vel plura baptiſmata conferemus? in utriuſque quæſtionis caſibus ex Ritualis doctrina baptiſmo abſoluto vel conditionato juxta rei certitudinem vel incertitudinem utentes. Et quod primum attinet, pro regula ſtatuitur: Id quod ex utero muliebri oritur, ubi ſufficientiſſima ratio & evidens contrarium non probat, ſemper anima rationali præditum eſſe præſumendum. Unde abſolutè baptiſandus fætus, in quo principalia membra ſunt humana, quamvis quædam ſint ad inſtar alicujus bruti. Sub conditione autem, ſi totum Corpus

pus ſit brutale & ſolum caput humanum vel vice versa. Simile quid dicendum, ſi mater bellua ex homine concipiat. Si enim belluam generare contigerit infantem cum omnimoda humana organiſatione, abſolutè baptiſetur, ſi autem cum capite ſolum humano vel in forma humana non quidem plena ſed prævalente ſub conditione baptiſma conferatur. Nec hoc inpracticabile quid dicendum. cum Licetus de Monſtr: L. 2, c. 68. narrat. Quendam nefarium ſe vaccæ commiſcuiſſe, & ex ea puerum generaſſe, qui pietatem coluit, quanquam ſolitus prata paſcere, herbaſq; ruminare; Sicut è converſo in Indiis mulieres quandoque ex ſimiis concepiſſe tradunt Recentiores.

At verò ſi Monſtrum ex fæmina naſceretur humanæ quidem ideæ & formæ, ſed abſque principali membro ſcilicet capite? quod

vo.

vocant Acephalum: Cum desit ima sedes animæ, absolutè non baptisetur, conditionate tamen potest, & debet baptisari. Nam monstrum ejusmodi internam aliquam potest habere corpusculi partem, quæ Cerebri vice fungatur: hujusmodi Monstra nata fuisse testatur Licetus ibid: 20. cap: Si verò nascitur quid sine omni forma, Baptismus nequaquam tribuatur. Mola enim vel falsum germen, vel polypus non fætus erit. Mirabile tamen est & nimis extraordinarium ideoq; in exemplum non trahendum, quod in S. Elzeari historia traditur. Amphibisia Elzearii propinqua & Grimoaldi Viri Principis Uxor post efferatissimos in partu dolores monstrum edidit omni forma destitutum, quod continuò motu adstantes perterrebat. S. Elzearius Conjugum lacrymis commotus carneam hanc molem oratione in infantem insolitæ pulchri-

chritudinis convertit. Borelli in vita S. Elzearii Cap: 7. Prædixitq; insuper fore, ut infans ad summum Pontificatus Gradum assumeretur: sicut revera assumptus est, & Urbani V. nomine celebratur.

Quod verò ad 2dam quæstionem spectat: Quando certis monstris duplex baptisma conferri debeat? Attende: Si Monstrum duo habet Corpora quamvis unita propriis gaudentia membris, duplici baptismo donentur: nisi imminens mortis periculum unicam formam adhibere cogat: Ego vos Baptiso &c. Non obstat tamen duplicis baptismi collatione, etiamsi alterutri corpori desint membra minus principalia.

Si autem in uno corpore duplex adsit caput aut plura capita, principalius absolutè, reliqua conditionatè: *Si es alius homo.* baptisanda sunt. Similiter si duo pe-

cto-

ctora ſub uno capite, ex quo Auphali viſi aliquando ſunt reperti, procedendum: hoc eſt, minus principale pectus ſub conditione baptiſetur.

Præterea moneant Parochi, monſtra non occidenda ſed Parochis ipſis oſtendenda; ut ii de Baptiſmo miniſtrando decernant: etſi opus fuerit, alios peritos, aut Officium conſulant. Ubi autem illa anima rationali informata credantur: neque poſt ipſum baptiſmum interimenda erunt, ſed conſervanda & educanda: ſi autem omnino turpia viſu & prorſus horriſi.a, ſponte ſua mori ſinantur: cum ea poſitivè perimere nequaquam licet.

§. 4tus

§. 4tus.

De Baptismo Infantium recenter sub specie mortuorum natorum deq; modis iis succurrendi.

Experientia certissima docuit nascentes infantes præsertim in partu difficili planè defunctos videri, cum tamen reipsa viverent, & continuatis auxiliis etiam nunc primum post aliquot horas ad se redirent. Sic Panormi (ut refert Author) Puerulus cum ortus esset, visus est planè mortuus: Sed Paulus Puecius Presbyter & Medicus prudenter de mortis veritate dubitans ipsum sub conditione baptisavit: & ecce aqua frigida sacræ lotionis aspersus ad vitam revocatus est. In diœcesis autem Cephalædensi oppido Margaritha de Michàèle accelerato ex terrore partu 16to. Calendas 8bris anno 1756to infantem peperit. Is aliquas Corpo-

poris partes habuit planè lividas, pedes vero atque crura excoriata: imò ubicuuque ipsius cutis attingeretur dehiscebat, & à carne separabatur. Proinde ab omnibus mortuus judicatus est. Verùm quia Stephanus Berardi Parochus vigilantissimus (de præsenti materia ab Authore monitus) Obstetrices permonuerat, ideò pro cautela idem Parochus invitatus est: Accurrit ille, & domesticorum animos erexit & sinistram parvuli papillam exsugi præcepit & eundem in balneum calidum deponere jussit, post hæc infans vitæ indicia præbuit & baptisatus ad duodecem horaria minuta supervixit. Adducit & plura exempla Author, quibus persvasum habere vult: nunquam denegandum esse baptismum infantibus quamvis nati defuncti apparerent, nisi putrefacti sint, sed sub conditione = *Si vivis* baptisandos esse: Semper enim præsumen-

ſumendum eſt parvulos Aſphyxia correptos eſſe potius, quam vitâ functos. Et hic baptiſmus non eſt omittendus, etiamſi poſt aliquot horas modo non ultra duodecem de infante ſub ſpecie defuncti nato detur ſignum Parocho, ſi in Corpuſculo non adſit rigiditas aut aliud ſignum characteriſticum & certum mortis, quod infantibus eſt putrefactio & fætor cadavericus.

Remedia autem pro parvulis qui mortuorum ſpeciem imitantur ſunt ſequentia: 1mum Inſufflatio per tubulum in puerorum os humani halitus calidi. Grubel: in Miſcel: Nat: cur: dec: 2. a 10. Obſerv: 44ta. Obturandæ autem ſunt interim nares, ne immiſſus àër per illas erumpat. Hoc remedium eſt etiam egregium pro adultis, maximè ſuspenſis imò & pro brutis. 2dum remedium eſt: mammarum papillas ſugere. Senſu enim ſunt ex-

exquisitissimo ac mirum in modum spiritus animales irritante. Proficuum etiam est, etiamsi sinistram solum papillam exsugat obstetrix. 3tium. Plantas pedum sollicitare penicillo, quod etiam in adultorum deliquiis medici laudaverunt. Deventer apud Bruchier t. 1. c. 4. §. 2 4tum. Calentis aquæ balneum additis aromaticis malorum Assyriorum rosmarini, lauri, ac similium herbarum frondibus, vino alisq; spirituosis liquoribus: in quo balneo collo tenus puerulus immergatur. Chundeman: Acta: Nat: cur: t. 2. observ: 150. Juvabit etiam simplicis aquæ frigidæ præsertim gelidæ aspersio. 5tum. Propè parvulum ipsius placentam, secundinas, funemq; umbilicalem comburere. Spiritus enim venarum ignis virtute vaporizatus infantem exsuscitare solent. Præstat autem funiculum umbilicalem ab infante non præcidere: ita enim

pro-

propter immediatam vasorum communicationem remedium celerius operabitur. 6tum. Fumus tabaci in intestina (uti etiam fit in submersis & apoplecticis) introductus. Ad hoc præstandum adhiberi potest tubulus, quo ad tabaci fumum inspirandum utuntur vulgo: *Pipa*: & tunc afflabit obstetrix ex parte foci papyro perforata cooperti. 7mum. Perquam efficax, Jntroductio rostri gallinæ viventis in infantis intestinum, quæ debet detineri sic ne fugiat. Fulgos: l. 1. c. de Av: Anno Domini 1748vo. Chirurgus Riguardus (Bruhier t. 2. c. 5,) a Matre mortua putata extraxit manu infantem, qui adhibitis remediis incessanter per tres horas continuatis revixit & supervixit. Nova spe accedit idem Chirurgus ad mortuam Matrem, eamq; jam arcæ mortuariæ inclusam revidet. Et ecce cum post septem horas, apparenter mortu-

tuam flexibilem invenisset, adhibitis remediis suprascriptis sensibus restituit, quæ diu quamvis surda & muta supervixit.

§. 5tus.

De submersis & auxiliis iis dandis.

Quæ hactenus de infantibus disseruimus illustrant materiam de submersis. Experientiâ enim constat, quod similiter ex aqua extracti quamvis sine sensu, motu & respiratione videantur ad se post adhibita probata remedia, redire soleant. Varia in præsenti materia exempla adducit Castrius inter alia & hoc: Miles certa viderat in submersis remedia adhiberi, audieratq; 24. horas quandoque non sufficere, ut in aquis eorum vita extingvatur: cum ergo se se obtulisset occasio eadem remedia in

com-

commilitone ſuo, qui ab aquis apparenter mortuus elevatus fuerat ſalutaria expertus eſt. Unde Alexander Benedictus l. 10. c. 9. prohibet, ne tales ante 72as horas tumulentur, & adducit quoſdam poſt 48. horas ad ſe rediiſſe. Zachia tit: 2. etiam poſt tres dies teſtatur. Unde in talibus ante tumulationem ſigna mortis ſupra deſcripta ſunt diligenter examinanda.

Verùm quænam erunt auxilia, quæ ſubmerſis iſtis conferemus. 1mo. Ante omnia ſubmerſus ab aquis exemptus illico in viciniorem domum, ſi fieri poteſt tranſferendus eſt. Nam Jolyus qui quatuor ex hujusmodi naufragis liberavit, ait: neminem eorum, qui aperto in àére ſunt relicti mortem declinaſſe. 2do. Exuendus erit veſtibus madidis, aliis verò ſiccis probeq; calidis induendus, & ſaltim per quinque minuta horaria

pe-

pedibus ſurſum ſuſpendendus non diutius, ut aqua reſpirium impediens emittatur: & poſteà inprobè calefacto lecto collocabitur, expedit etiam, ut cubiculum valido igne caleſcat, quo calor citius in langvente corpore virtutem ſuam exerat. 3tio. Poſt hæc prima ſubſidia ſangvinis miſſio neceſſario & quàm primùm facienda venit, convenit autem, ut vena jugularis ſecetur; hæc enim cum ſit proxima capiti ac pectori, ubi magna ſangvinis copia congeſta ſupponitur inde facilè egredietur. 4to. Æger (ſi fieri poteſt) in balneum immittatur, id enim ad ſangvinem circulandum & reſpirationem renovandam conduceret. Si autem hoc non poteſt præſtari, ſaltem vasa vitrea aut ſtannea aquæ ebullientis plena lineis pannîs cooperta pedibus & axillis continuatim apponantur. 5to. Intereà ſenſus omnes ad ſuas opera-

tiones arceantur: oculi aperiantur, etsi nocturnum est tempus lumen illis admoveatur. Auditus exstimuletur cantu, sono, proprio nomine ægrotus vocetur nunc demissa nunc voce alta; Olfactus excitetur vellicatione, remediis sternutatoriis violentis, puta: maro, euphorbio, helleboro in pulverem redacto & medio tubulo in nares insufflato: applicatione etiam odoriferorum scilicet pulegii, rutæ, aceti ac super omnia spiritus salis ammoniaci. Gustus ad vomitum est irritandus. Non ut aqua omnis dejiciatur, hoc enim ad sensus revocandos non est omnino necessarium, sed ut aliquem motum diaphragmati inducamus, qui ad motum respirationis conferret inchoandum. Non desunt qui liquida vomitoria proponunt, sed ista non nisi quibus jam deglutiendi facultas restituta est aptari poterunt. Solis ergo pennis ad æso-

pha-

phagum titillandum utemur. 6to. Denique quod ad curam per tactus organum spectat, expedit per totum Corpus frictiones facere cum unctionibus validis usque ad rubedinem Carnium. Simul autem applicanda cordi epithemata ex ruta, majorana, succino, cinnamomo, spica. balsamisq; apoplecticis nimirum calidis ac spiritosis vel ex pane calido aquâ vitæ irrigato. Servit quoque superioris ventris compressio versùs superiora; nimirum ad àërem pulmones distendentem exturbandum. Jtem humani halitus per tubulum in arteriam asperam insufflatio. 7mo. Jnter omnia autem medicamina pro submersorum salute præcipuum est juxta Lovisii monitionem tabaci fumus ad intestina introductus modô supra descripto. Utiles quoque Clysteres.

Notandum diligenter etiam notabiliter longo tempore attendanda eſſe remedia: ſiquidem Detardingius teſtatur: ex quinque ſubmerſis à ſe in noſocomio curatis nonnullos non niſi poſt horam & amplius ſese vivere indicaſſe.

CAPUT IV.

De Dei Charitate erga nonnatos deq; auxilii quæ illis præstanda sunt a Parentibus, Parochis, Episcopis, Principibus.

§. 1mus.

De Charitate DEI.

Cum certum sit, quod = *vult Deus omnes homines salvos fieri*, huicq; generali propositioni etiam infantuli manifestò sunt comprehensi utpote Adæ Filii, procul dubio est, Deum etiam Infantium in utero existentium velle salutem. Et sanè cele-

celebris est inter Theologos controversia, quô modô Deus media ad æternam salutem necessaria providerit his, qui priusquam oriantur occumbunt. Jnter varias Theologorum hac in re sententias communior est Duvallii Doctoris Sorbonici Tom: 1. de Grat: n. 407. in Christiana perfectione S. Francisci Salesii Discipuli ac S. Vincentii à Paulo Magistri. Qui docet Deum infantulorum salutem Parentum precibus annexuisse, quatenus, ubi isti orant, quædam bona opera faciunt, quædam peccata vitant, Deus eorum Filios incolumes ad nat vitatem usque tuetur, & non rarò naturales causas, quæ mortem puerulo inferrent, & quarum impedimenta ob altissimos fines juxta Bellarminum inscrutabili Decreto permittere posset, benignissimè immutat propter Matris probitatem orationemq:. Hanc doctrinam Viva testatur hodiernis Theologis maximo-

ximopere acceptam. Sæpe igitur conservatio vitæ pueri in ventre Genitricis ejusq; sanitas, felix ortus, ut baptizmate donetur, fructus est probitatis Orationisque Parentum, quibus Deus miseretur. Imò Bonitas Dei infinita cum Gersonio dicendum, potest modo extraordinario propter pietatem & preces Parentum uti ad sanctificandum in utero infantem quem prævidet extingvendum. Quamvis autem favor hic de paucis prædicatur: non est tamen abbreviata manus Domini, quin non possit Deus accelerato usu rationis infanti, eum ad actus Fidei, Spei, & Charitatis ac baptismi desiderium excitare. Unde Joannes Gersonius in Oratione de Nativitate Virginis Mariæ in Generali Constantiensi Concilio habita monuit: Deum a Parentibus pro tali gratia in casibus desperatis esse obsecrandum, quatenus infans necdum natus, si fortè moriturus

esset

esset priusquam ad baptismi fluminis gratiam pervenire valeat, dignetur ipsum Dominus Jesus Summus Pontifex Baptismo Spiritus Sancti præveniendo misericorditer consecrare: Quis enim scit, si forte exaudiat Deus? Cum tamen favor hic sanctificationis etsi fortè nonnullis Sanctis à doctis viris asferatur, sit valdè infrequens: Orandus est Dnus, quatenus pueri vitam in ventre Matris conservet, & eundem ad S. Baptizma perducat, aut si mortuus esset, eundem vitæ misericorditer restituat: Quanta sit misericordiæ Dei in his erga infantulos præstandis S. Franciscus Xaverius olim se se observasse testatur l. 2. ep: 3. = Oppida sunt „Christianorum septem, quæ ego „circùmiens infantes omnes ac pu„eros nondum baptisatos rite lu„stravi, ex quorum numero com„plures sub Baptismum excesse„runt è vita, ut satis appareret vi-

„tam

„ tam illis ſuppeditatam divinitus „ uſque eo, dum ad æternam vitam „ patefactus aditus eſſet. Jd & Sancti quoque Stephanus, Martino, Hilarius, Raymundus, Nonnatus, Jgnatius Loyola, Franciscus Saleſius, Camillus de Lelis, ac Beati Benedictus à S. Philadelpho & Marcus Bononienſis, & alii publicis Eccleſiæ honoribus celebres præcibus ſuis ad Deum fuſis mortuos pueros, ut hi baptisma ſuſciperent, ad vitam ſuscitaſſe perhibentur.

§. 2dus.

Quæ Parentes agere oportet pro Salute parvulorum nonnatorum?

Præter obligationem Parentum removendi omnia impedimenta, quæ infantibus in utero exiſtentibus nocerent, (de qua ſupra ubi de abortibus vitandis) ineſt obligatio Paren-

rentibus: ut orent pro salute nonnati infantuli. Si enim Parentes pro filiis suis tenentur semper orare majori assiduitate id exequi debent pro infantibus adhuc maternis visceribus contentis. Expedit ergo Prægnantem frequentius Pænitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta suscipere, Templa Sanctorum hac intentione invisere, Sacerdotum Religiosorum aliorumq; Dei Famulorum orationes expetere, se seq; in specialibus Christianæ pietatis actibus exercere, ante partum Ecclesiam accedere, coram majori ara Benedictionem Parochi petere, nullum actum virtutis præsertim ad quem per Spiritûs Sancti instinctum propellitur singularius, omittere: cum Deus gratiam baptismi infantuli forte sine baptismo propter naturalia impedimenta decessuri juxta superius assertam Theologorum doctrinam huic vel illi Orationi vel actui virtutis Parentum

alli-

alligaverit, ſpeciali Providentiâ ſuâ impedimenta curſûs naturæ remoturus. S. Franciscus Saleſius talem orationem pro gravidis præſcribit, quæ eſt ex Lib: 3tio Epiſtolarum ejus excerpta.

O DEUS æterne infinitæ bonitatis Pater, qui Matrimonium ordinaſti, ut hìc in terra homines multiplicares, & iſthuc cæleſtem civitatem impleres: noſtrumq; ſexum ad hoc munus præcipuè deſtinaſti, volens quoque ut fæcunditas noſtra ſignum eſſet benedictionis tuæ ſuper nos. Ecce me proſtratam ante faciem Majeſtatis tuæ, quam adoro pro concepto infantulo, quem in ventre meo creare dignatus es gratias agens. Verùm o Domine quoniam hoc tibi placuit, brachium providentiæ tuæ uſque ad operis à te incepti abſolutionem extende: graviditati meæ tua perfectione ſuccurre, & creaturam,

quam

quam in me formare voluisti, usque ad horam, qua in lucem venerit, continua protectione tua mecum porta, & tunc o Deus vitæ meæ auxiliare mihi, & dextera Sancta tua debilitatem meam confirma fructumq; meum benignis oculis respice, usquequo, sicuti per creationem tuus est, ita media quoque redemptione tuus effici valeat, cum Sacrosancti Baptizmatis aqua susc epta in sinum Ecclesiæ Sponsæ tuæ reponetur. O Salvator animæ meæ, qui dum hic in terris degeres, tam vehementer puerulos amabas, tamq; sæpe in brachiis tuis suscipiebas: ah! recipe & istum, eumq; ad sacram adoptionem tuam perducito: ut te habens teq; invocans Patrem, Nomen tuum in illo sanctificetur, & regnum tuum ad ipsum pertineat. Itaque o Mundi Redempcor, eum ex toto corde deputo, dedico, & consecro obedientiæ tuorum mandatorum, amori ser-

ſervitutis Tibi debitæ & ſervituti amoris tui. Quoniam verò juſtitia tua primam hominum Matrem cum tota poſteritate multis doloribus & pænis in partu ſubjecit, voluntariè labores omnes accepto, quos o Domine hujusmodi occaſione placitum Tibi fuerit à me ſuſtinendas permittere. Solùm Te deprecor propter ſacrum, lætumq; Innocentiſſimæ Genitricis tuæ partum, ut, quo tempore miſera vilisq; peccatrix paritura ſum, Te mihi propitium præbeas, me unà cum filiolo, quem mihi tribuere dignaberis, benedicens benedictione æterni amoris tui, quam de tuâ Bonitate ſummopere confidens à Te humillimè depoſco. Tuq; Virgo Mater Sanctiſſima Domina mea maximè dilecta, & unica Regina, ſingulare mulierum decus; ſub patrocinio tuo & in ſinu maternæ & incomparabilis ſvavitatis tuæ deſideria mea & deprecationes recipe,

ut

ut Filii tui misericordiâ eas axaudire dignetur. Hæc a Te peto atque exoro, quæ omnium es creaturarum amabilissima; propter virginalem amorem quo dilectum Sponsum tuum Beatum Josephum prosecuta es, propter infinita merita nativitatis Filii tui propter sanctissima viscera, quæ eum portaverunt, & sacra ubera, quæ eum lactaverunt. O Sancti Angeli ad meam filiiq; mei quem gero custodiam deputati, utrumque nostrûm defendite & gubernate: ut vestro tandem præsidiô ad gloriam, qua fruimini pervenire possimus: ut unà vobiscum communem Regem nostrum ac Dominum laudare & exaltare mereamur, qui regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Archi-Episcopus etiam Panormitanus Jndulgentiam 40. dierum suis Diæcesanis concessit toties obtinea-

tinendam: quoties quis in Diæcesi sequentem Orationem recitaverit.

Pater Cælestis qui Curam geris etiam passerum, qui amas homines eorumq; prolem: parvulos omnes etiam nonnatos, oculis misericordiæ tuæ benignissimè respice, neque permittas eos sine gratia tua mori, sed tuere illos ab omni hominum dæmonumq; nequitia: ut opitulante providentia nati quidem baptismum consequantur, non nati verò incolumes tempore debito in lucem veniant: atque ita ipsi quoque sacra lotione mundentur. Si quos verò ætate procedente damnandos prævides, ad Te potius jam baptisatos ante rationis usum misericorditer evoca. Respice in faciem infantis tui JESU, qui Te de Genitricis etiam utero glorificavit, & per Prophetam Tibi dixit: *De ventre Matris meæ tu es Protector meus.* Respice Mariam Beatosq; inno-

nocentes pro pueris omnibus depræcantes, ne tuus hostis unquam in illorum perditione glorietur. Per Christum Dominum Nostrum &c. Amen.

§. 3tius.

Quæ Parochos agere oporteat pro Salute Parvulorum Nonnatorum.

Quod attinet nonnatos Parochus insuper pro eorum cura inculcet in Catechesibus sive Neosponsorum examine: ut gravidæ partui proximæ, præsertim de quarum infelici partu timetur pro petenda benedictione ad Ecclesiam accedant: quibus accedentibus sequentem Benedictionem S. Caroli Borromæi largiri poterit.

Sacer-

Sacerdos dicit.

DEUS in adjutorium meum &c.
Gloria Patri & Filio &c.
Terra dedit.

Deus misereatur nobis & benedicat nos: illuminet vultum suum super nos & misereatur nobis.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.
Confiteantur tibi populi Deus:
Confiteantur tibi populi omnes:

Lætentur & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate & gentes in terra dirigis.
Confiteantur tibi populi Deus.
Confiteantur tibi populi omnes.
Terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.
Gloria Patri &c.

Terra dedit fructum ſuum.
Pater Noſter &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Salvam fac ancillam tuam.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in ea.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto.
℟. Et de Sion tuere eam.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor noſter ad Te perveniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

Domine Deus omnium Creator & Rector, accipe quæsumus Sacrificium cordis contriti, & fervens desiderium famulæ tuæ N. humiliter supplicantis pro conservatione prolis debilis, quam dedisti eam conc pere: & custodi partem tuam, at ue sanctifica, immensa benedictione gratiæ tuæ, & defende ab omni dolo & injuria inimici, ab omniq; adversitate, ut ad lucem præsentis vitæ te adjuvante veniat incolumis, tibiq; cum omnibus jugiter deserviat & vitam demum consequi mereatur æternam. Per Dominum nostrum &c.

℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

℣. Benedicat & exaudiat nos Deus.

℟. Amen.

℣. Procedamus cum pace.

℟. Jn nomine Christi.

℣. Benedicamus Domino,

℟. Deogratias.

Deinde aqua benedicta illam aspergit dicens:

Benedictio Dei Omnipotentis Patris, ✠ & Filii, ✠ & Spiritus ✠ Sancti descendat & sit semper super te, & super prolem tuam & maneat semper, Amen.

Instructo in hac materia populo præsertim verò neosponsis quibus puncta quædam hujus doctrinæ, ut castè exprimantur, convenientius est ea ex aperto libro legere. Deinde Parochus omnem sollicitudinem ad instructionem obstetricum earumq; examen. Sine quo ex S. Caroli Decretis totiusq; Ecclesiæ disciplina munus suum exercere nequaquam permittantur. De quo examine eas habere testimonium scri-

ſcriptum expediret. Et hoc Examen pro omni cautela quovis Anno circa diem SSrum Innocentium aut circa Confeſſionem Paſchalem repetendum.

Examen autem de ſequentibus articulis, inſtituitur.

1mo. *De Persona baptisanda.* Sciat Obſtetrix omnem hominem poſſe validè baptiſare etiam infidelem modo debita forma, materia, & intentio adſit. Extra tamen caſum neceſſitatis licitè ſolus Parochus baptiſat. Sciat item, quod etiam in neceſſitate non debeat obſtetrix baptiſare, ſi adeſt alius fidelis gnarus, niſi conferendum ſit baptiſma in utero, aut ex parte nato: protunc enim inconveniens eſt quempium alium ingerere. Dum autem baptisat in pede vel manu non totaliter natum, ſub conditione id præſtet.

2do.

2do. *De tempore baptisandi.* Sciat quam primum & jam in utero baptisandum esse infantem; si partus ex aliquo impedimento est impossibilis, vel si tantum difficilis, aut si infans ex nascendi conatibus in magnam inciderit debilitatem, vel si non nisi tenuis in eo motus deprehendatur: vel si multo prius placenta exierit fætu in utero manente, vel si funiculus umbilicalis dirumpatur. Demum quodcunque periculum est, ne puer antequam enascatur, occumbat. Sciat 2do quod natus puer statim baptisari debet, si periculum proximum subest, ne antequam ad Ecclesiam deferatur intereat ob debilitatem. Signa autem debilitatis ex Quintana advenas de bap: tract: I. & Gobat: Tract: de bap: n. 499 sunt sequentia, quorum unumquodque sufficiet. 1mum. Si puer sine vagitu & ploratu oriatur, vel plorat, sed voce sonum demissa, patet

enim

enim ejus sensus esse inter mortuos, quod molestiorem sibi aërem non sentiat. 2dum. Si modicè respirat vel signa ostendit suffocationis inceptæ. 3tium. Si langvidus est, nec juncturis insistere valeat. 4tum. Si lividus præsertim in facie & capite. 5tum. Si in nascendo multum temporis insumpsit, vel parum temporis sed multum laboris. 6tum. Si multum ab obstetrice fuerit adjutus, ab hujus enim auxilio non parum divexatur. 7mum. Si ante 7mum aut citius oriatur mensem. Non enim adhuc est bene corroboratus: quocirca dicendus est abortivus. Abortivi enim omnes regulariter ad Ecclesiam non sunt deportandi. Aliud de infantibus octimestribus; hi enim corroborati observantur, & ut scribit Drelincurt: in Coroll: de humano fætu Francisco Mauriceau obstetricariam artem triginta quinque annis exercenti, septimestres

omnes

omnes ante 7mum diem obierunt, contra verò Octimestres plus quàm bisce nti fuêre vitales. Tomo. Si cranium valde habet molle, suturasq; nimium apertas aliasve partes disjunctas.

Nota. Ubi infans optimè valeret, sed metueret obstetrix, ut frequenter accidit in partu illegitimo, ne parentes illum occidant, vel saltem exponant incunctanter illum baptisabit.

2do. *De Baptisantis intentione.* Sciat obstetrix intentionem ante baptisationem faciendam esse, id faciendi quod facit Ecclesia, nimirum quod Christus instituit, quod præstare poterit per hoc ad Deum suspirium: O Deus adjuva me, ut juxta Ritum S. Ecclesiæ baptisem. Vel: Veni in adjutorium Domine, ecce volo sic baptisare quomodo Baptisant Ecclesiæ tuæ Sacerdotes.

3tio.

3tio. *De Persona Baptisanda.* Circa Personam baptisandam hæc ſcire debet Obſtetrix. 1mo. Si in periculoso partu Caput infans emiſerit per ſe illum baptiſet abſolutè: ſi autem aliud minus principale membrum, baptiset etiam in illo: ſed ſi oriatur, ſub conditione baptiſandus iterum; cum baptizma in membro minus principali ſit dubium: Conditionem hanc apponet: *Si non es baptisatus ego te baptiso.* 2do. Si totus in utero fuerit, poterit eum obſtetrix manu incurvata baptiſare, vel ſpongia, vel ſyphunculo præmiſſa conditione: *Si es capax.* Idem dicendum quamvis ſecundinæ diſrumpi per eam non poſſint & obſtent. At ſi diſrumpantur, iterum ſub duplici conditione baptiset: *Si non es baptisatus & es capax.* Poſt tale baptiſma in utero collatum, infans ſive plenè natus, ſive in capite emiſſo denuò baptiſandus eſt ſub conditione: *Si non*

non es baptisatus. 3tio. Monſtrum ſi non habeat humanam ſpeciem non eſt baptiſandum, ſi autem dubitetur, ac non ſuppetat tempus interrogandi Parochum, baptiſandum ſub conditione: *Si homo es*: Si dubium ſit, an in monſtro plures perſonæ ſint, doceatur ut ſupra de Monſtris. 4to. Quoad abortivos etiam minimos, quomodo illis ſuccurrere debeat baptiſmo, inſtruenda eſt prout ſupra.

4to. *De materia Baptismi.* Materia Baptiſmi, eſt lotio aquâ naturali facta, neque opus eſt omnino benedicta. Expedit autem ut Obſtetrix pro caſu parari ſibi faciat aquam nitidam tum in pelvi munda, ut accipiat pro nonnatis, tum in urceolo, qui pro natis commodiſſimus eſt: aquam convenit eſſe tepidam ne infantulo frigida noceat. Si autem aqua naturalis in aliquo caſu deeſſet, & haberetur pæ-

nes

nes se vg. rosacea in necessitate, & tali baptisaret dicendo: *Si hac aqua possum ego te baptiso &c.* Et habita dein naturali aquâ rebaptisaret sub alia conditione: *Si non es baptisatus.* Ablutio hæc fiat in capite, ita ut carnem aqua contingat, quæ trina infusione in formam crucis infundatur.

5to *De Forma.* Forma Sacramenti sunt hæc verba: *Ego te Baptiso in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quibus nihil addat nihil demat. Unde propter certitudinem rite prolatæ formæ sive Obstetrix, sive alius quispiam in necessitate baptisat, Testes duos aut unum è præsentibus roget, qui attendant prolationem formæ, ut deinde Parochum certiorem reddant. Jn baptismo tali non omnino nomen est infanti imponendum, laudabiliter tamen imponitur.

6to.

6to. *De applicatione formæ ad materiam.* Sciat Verba formæ eodem tempore quo fit ablutio recitari debere. Simul ergo in baptiſando lotionem & verba incipiat, tres cruces infuſione aquæ tribus Divinarum Perſonarum nominibus correſpondentes. Si autem ſubita mors timeatur infantis, unica fiat etiam ſine Cruce infuſio. Et tam verborum prolatio, quam aquæ infuſio ab eademmet perſona omnino peragatur, ſecus nullus erit baptiſmus.

Monita occaſione Examinis danda Obſtetricibus de ſuprascripta doctrina exerpta.

1mum. Obſtetrices munus ad animarum Corporumq; ſalutem, imo ad humani generis conſervationem utiliſſimum, inſignem in obſtetricibus ipſis Charitatem requirit atque prudentiam, quæ pro-

propterea sapientes mulieres vel commatres veluti 2dæ Matres appellantur.

2dum. Jnprimis hæ conjugatas doceant: impeditionem generationis non licere. Jnsuper causam abortuum, monstrorum & vitiosarum generationum, ex quibus partuum impossibilitas, ac mors prægnantium subsequitur, interdum esse multiformem impudicitiam ac immoderatam generantium libidinem: sumptaq; prudenter occasione mulieribus nuptis modestè significent, quid à lege Divina permissum, quid vetitum sit.

3tium. Prægnantes moneant earum conscientiam valde onerando, ipsas, ubi senserint ciborum aut potionum, quas fortè viderint, vel ex grato saltem odore perceperint, appetitum in se ipsis irritari, pessime agere, si ob vanum timorem

rem aut verecundiam optatos cibos aut potiones delibare non petant cum experientia doceat ab his desideriis, quibus satisfactum non fuerit, persæpe abortum ac mortem fætûs originem trahere.

4tum. Item prægnantibus earumq; domesticis tradant, incertum esse tempus animationis quam sane multorum Doctorum Sententia docet immediatè post conceptionem fieri, & addant certum hodie putari, animationem femellarum non esse tardiorem illa masculorum: quapropter inculcent in omnibus abortibus etiam primis graviditatis diebus, inquirendos esse diligentissimè fætus, vel embryones ac juxta regulas superius descriptas baptisandos.

5tum. Obstetrices quæ ad abortum consilium vel auxilium quomodocunque præbent, sive fætus sit

ſit animatus ſive non, atrociſſimè peccant; etiamſi abortum procurent, ut prægnantis honorem vel vitam tueantur. Jmò ſi fœtus eſt animatus excommunicationem reſervatam, pænamq; mortis incurrunt.

6tum. Omnes igitur à ſe auxilium vel conſilium petentes ad finem abortûs à prava intentione deterreant excommunicationis & pænarum homicidii metu: imo ſi opus eſt Parocho ſecreto denuntient: ut is prudenter impediat: neque gravidis remedia ignota & priùs a Medicis non probata miniſtrent.

7mum. Jn occultis & illicitis prægnationibus & partubus illibatum ſilentium ſub peccato ſervare tenentur. Si quando verò domi profuturo partu occultas prægnantes hospitio retineant, nunquam ſub ullo prætextu earum amaſios admittant.

8vum. Jn partu præsertim difficiliori ad orationem confugient: præces tamen prohibitas vel suspectas non recitabunt: imò pro majori cautela orationibus ab Ecclesia non approbatis abstinebunt, nec quidquam superstitionem redolens exequentur. Caveant etiam ne alicui quidquam ex secundinis aut aliquid aliud tribuant, quod ad usum superstitiosum adhiberi valeat.

9num. Periclitatur autem fætus ubi nimis debilis est ac sine motu, vel si partus est valde difficilis vel si ruptus exeat funiculus umbilicalis, vel si egressa jam placenta fætus ipse moratur ad exeundum: ita enim deficiunt illi organa pro circulatione sangvinis atque nutritione; si fætus laceratis jam secundinis se se mechonico exoneravit: indicat enim abdomen suum valde comprimi. Tunc verò si tantisper substiterit ventris com-

compreſſio reſpiratio facile interibit.

ɪomum. Partus autem ubi diruptis nimis cito ſecundinis aquæ dilabuntur difficilis evadit: quocirca imprudentiſſimè ſe gerunt Obſtetrices, quæ illas diſrumpere audent, quod quandoque faciunt celebriores, ut gloriam celeris partus, cui ipſæ manus admoverint aucupentur exceptis caſibus deſperatis, in quibus ad baptisandum fætum jam jam moriturum ſecundinas lacerare neceſſe eſt: vel quando anterior membrana inſuperabilis eſſet duritiei, & à fætu ipso diſcindi non poſſet. Contra verò monet Borhavius[1], partum naturalem eſſe, cum infans ipſe in ultimo nascendi niſu membranas rumpit & exit: imo valde feliciorem futurum partum, ſi placenta præproperè ſponte diſſoluta parvulus cum tòto ſecundinarum volumine & in eis inclusus egrediatur, quod

interdum evenit puellis occultè & ſine obſtetricibus ac pene ſine doloribus parientibus. Talis Partûs fœtus ſecundinis incluſi valde anceps eſt, & infanti ob periculum ex ceſſatione motûs ſangvinis niſi citiſſimè ex ſecundinis liberetur, & ad usum liberum âéris pro reſpiratione ſua & circulatione ſangvinis per pulmones perducatur, & matri ob periculum, ut uterus non contrahatur, hinc vasa uteri per quæ circulatio ſangvinis ex Matris corpore in Corpus fætus hactenus jugiter peracta & continuata fuit maneant aperta ex his verò hiſcentibus accidat effuſio ſangvinis lethalis, ſicq; mater quantumcunque feliciſſimè enixa puerpera morte ſubitanea pereat.

11mum. Syphunculum chirurgicum ſibi Obſtetrix comparet, ut in extrema neceſſitate, cui aliter ſuccurri non poſſit puerum in utero baptiſet.

12mum.

12mum. Nonnatum infantem ne facilè mortuum putet. Imo quamvis natum & gelidum ac lividum, ac ſine ullo prorsus vitæ argumento ad vitæ usum revocare conetur.

13tium. Jn præcipuis remediis laudatur calor, lotiones ex vino, aliiſq; aromaticis liquoribus, ſecundinarum concrematarum vapor, umbilicali præſertim funiculo non reciſo, halitus in os parvuli inſufflatus, Tabacci fumus in inteſtina intromiſſus, juvat etiam papillas ejus mammarum ſugere, e quibus vulgo ſiniſtra præfertur, plantaſq; pedum vellicare penicillo. Jnfantes tamen aliquando non niſi poſt continuata per tres aut quatuor horas præſidia ſe vivos eſſe oſtendunt.

14tum. Ditioribus puerperis, quantum fas erit, ſvadeant proprio lacte niſi vera neceſſitas excuſavit,

filios alere, non aliis committere nutriendos, quod & matribus & filiolis æque nocere consvevit.

15tum. Deformem aut monstrosum fætum sub gravibus pænis occidere non licet, sed si tempus quidem sufficiat, advocandus est Parochus: ut de baptizmate deliberet. Si verò periculum urgeat juxta traditas regulas baptisabitur. Nani gibbosi & similes educantur. Fætus omnino horrendus vitalis esse non solet, eum tamen quanquam baptisatum non interficiant, sed ad summum de se mori sinant.

16tum. Antequam fascia puerperam adstringant, ipsam interrogent: utrum alio pondere adhuc sentiat se gravatam, ne fortè alius in ea remanserit fætus & strictione suffocetur. Rectius per attactum orificii in uterum immissi id explorabunt.

17mum. De baptiſmate ſanis etiam infantibus citius & intra tertium ſaltem diem adminiſtrando Parentes commoneant, illudq; urgeant: ſive ut ipſis ceremoniæ in Eccleſia ſuppleantur.

18vum. Jllicitum eſſe denuntient Matribus & Curatricibus dormientibus parvulos biennio aut ſaltem anno minores, non in cunis ſed in lecto collocare, cum facile opprimi & ſuffocari poſſint: præſertim ſi manuſculas habeant faſciis devinctas & maximè ante Baptiſmum.

19num. Peccant, ſi fætum quandoque mortuum vivum eſſe rementiantur, vel eum arte aut remediis moveri faciant, vel Sanctorum miraculò reſſurrexiſſe comminiſcantur, ut eum ad Parentum ſolatium baptiſent, & in loco ſacro ſepeliri curent. Peccant etiam partum aut fætum ſupponentes ac civili jure puniuntur.

20mum.

20mum. Prægnantem infirmam visitent: si ad mortem tendat, curabunt, ut Parochus & Chirurgus pro partu cæsareo peragendo maturè advocentur. Si graviditas inhonesta sit, idem secreto præstabunt saltem semel ac illa expiraverit.

21um. Cum non rarò prægnantes in extremo mortis luctamine fætum enitantur, qui in tegumentis lecti poterit suffocari; sedulo illi assistant: & interdum per lectum inquirant: utrum fortè prodierit infans: quem si inter nascendum hæreat quoquomodo adjuvabunt.

22dum. Modum faciendi partum cæsareum addiscant & domi novaculam vel cultellum acutum incisorium perpetuò habeant: ut illum, si quando necessitas postulaverit, ministrare possint.

23tium. Mortuam prægnantem ubi inciderint, inspiciant: utrum unus an plures fortè sint parvuli, vel simul geniti vel per superfætationem. Jn abortu etiam investigabunt semper, quid ulterius post fætum egressum emittat adhuc mater; fortasse enim alius erit embryo.

14tum. Si infans detectô & vacuo invento utero, non appareret, graviditas autem certa fit: ampliato vulnere inquirant, utrum ipse in tubis fallopianis, ovario, vel etiam abdomine delitescat.

25tum. Si pro infante molam reperiant, hanc ipsam dissecent quandoque enim in ea inventus est fætus, omnes ergo molas discindendas meminerint, etiam reperto jam fætu, nam alios fortasse continebunt: eæq; cautelæ adhibendæ veniunt molis in partu vel abortu exeuntibus.

26tum.

26tum. Pauperibus fæminis gratis obſtetricari tenentur. Jd ſi recuſent Deum habebunt ultorem: contra verò, ſi charitatem pueris ac prægnantibus omnibus præſertim egenis impenderint: divinam ſentient miſericordiam. Si enim Deus miſericors Ægyptiis Obſtetricibus domos ædificavit, multò magis verè Chriſtianis in Cælo manſionem præparabit, ubi ſempiterno ac beato ævo fruantur.

§. 4tus.

Baptizmatis domi ab Obſtetricibus præſertim collati validitatem eſſe diligentiſſimè discutiendam.

Antequam Parochus infanti domi baptiſato ſacras in Eccleſia Ceremonias rite ſuppleat ex Romani Catechiſmi doctrina exactiſſimè inquirat: utrum is validè baptisatus fuerit. Quæ inquiſitio facienda, eti-

etiamsi Vir aliquis prudens etsi Sacerdos alius baptisaverit: cum ex festinatione sive rei improvisæ novitate, etiam peritiores interdum errasse deprehenduntur. Et sane Conc: Carthaginense 5tum decrevit: Can: Placuit de Consecr: dist: 4. *Placuit de infantibus quoties* non *inveniuntur certissimi testes qui eos baptisatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt, qui per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere possint: absque scrupulo eos esse baptisandos.* Unde inquisitio de Baptismo domi collato per Testes saltem duas probatas mulieres aut unam fide dignam, est facienda. Non solùm autem testificantes mulieres interrogandæ sunt: utrum viderint baptismum reverà collatum, sed etiam utrum audierint bene per baptisantem obstetricem aut alium quempiam & distinctè prolata verba. De quo maximè interrogetur mater infantis, hujus enim hac in

re

re optimum testimonium est. De hac diligentia S. Carolus Borromæus in sua Ecclesia hæc statuit: *Obstetrix autem, quæ probata est, curet quoad fieri potest, ut duæ saltem mulieres ac mater præsertim si potest, testes præsentes adsint, quæ in baptisando verba ab ea prolata audiant.* Fæminæ hic pro testimonio assumuntur, quia viri à loco supponuntur abesse in hujusmodi circumstantiis. Ab iisdem Testibus seu aliis quæratur, utrum Obstetrix baptisans sit probatæ vitæ & pietatis, siquidem nonnullæ Dæmoni inservientes per malitiam nulliter baptisant. Ideoque tam ob hanc causam quam alias infra descriptas, nonnulli Theologi sentiunt, Baptismum sub conditione reiterandum semper esse, ubi Obstetrix baptisaverit. Cum Sylvio sic habente in 3. p. q. 66. art: 9. dub: 2.
„ Cæterum & si qui baptisatum do-

„ mi

„ mi ab Obstetrice posteà sub con-
„ ditione baptisat, non sit irregula-
„ ris; quæritur tamen an peccet?
„ verius arbitramur non peccare;
„ quia semper licet ea forma con-
„ ditionata uti, quando est dubium
„ de baptismo rite collato: quando
„ autem obstetrices domi baptisa-
„ runt, semper est hujusmodi dubi-
„ um, ne vel subito necessitatis ca-
„ su turbatæ aliter, quam referant,
„ dixerint, vel fecerint: aut ne se-
„ mel & iterum deprehensæ quod
„ bene baptisarint, deinde maliti-
„ osè errent, ac nihilominus asse-
„ rant se more solito baptisasse.
„ Experientia enim notum est, mul-
„ tas vel in materia vel in forma
„ errare interdum per ignorantiam
„ vel turbationem, interdum verò
„ per malitiam dæmoni scilicet sub-
„ servientes, sive quia sunt sorti-
„ legæ sive ob aliud. Ut igitur
„ parvulorum saluti consulatur se-

„ cu-

„ curius est, eos tametsi ab obste-
„ tricibus domi baptisatos posteà
„ baptisare sub conditione.

Quamvis autem communius Theologi doceant: quod si Obstetrices convenienter instructæ reperiantur, ac vitæ sint probatæ, baptismus non sit iterandus: tamen vel ex hujus sententiæ rationibus diligentissimum examen in tali casu esse instituendum, ac ubi aliqua dubitatio circa baptismi validitatem, aut circa vitæ probitatem appareret, baptisma sub conditione iterandum esse evincitur.

Ut ergo id quam attentius fiat, Regulæ hic tradentur, quas Parochi in examine Baptismatis domi collati perpetuò ac diligenter adhibeant. Baptismus ergo in quatuor pueri statibus potuit ab Obstetrice conferri. 1mo. Ubi puer perfectè natus fuerat & baptisatus.

2do. Ubi adhuc perfectè natus non fuerat, sed caput emiserat, & in capite baptisatus fuit, reliquo corpore manente in utero. 3tio. Cum puer in utero similiter existebat, sed minus principale membrum puta pedem vel manum, non verò caput emiserat, & in dicto minus principali membro baptismum accepit. 4to. Cum puer totus in utero continebatur: sed in illo lavari nihilominus potuit.

Jn 1mo igitur casu Parochus de materia forma & intentione obstetricem seriò addito etiam jurejurando interrogabit. Ac Testes saltem duas, præsertim ipsam matrem pueri sub eodem jurejurando examinabit.

Jn 2do Casu major est difficultas: debet enim constare reverà pueri caput non verò aliud membrum lotum fuisse. 2do Jpsum caput extra uterum vere fuisse. 3tio. Sufficienter fuisse lotum & aquam

ipsi-

ipsius capitis carnem non verò summos tantum capillos tangendo abluisse.

Jn 3tio Casu, quamvis ritè ac rectè se gesserit Obstetrix, baptismus præmissa conditione ex ipsius Ritualis præcepto erit iterandus.

Jn 4to Casu: Baptisatus etsi optimè certèq; materia, forma. & debita intentio servata sit; erit iterum sub conditione baptisandus licet enim sententia validitatem sic collati baptismi communior sit & probabilior, non est tamen certa.

§. 5tus.

De necessaria Episcoporum vigilantia pro nonnatis.

Tantò felicius cura pro nonnatis succedet, si Episcopi divinam erga illos Providentiam & charitatem imitantes authoritatem suam

ſuam interponent. Ad tria reduci videtur in his Antiſtitum cura: ſcilicet, mala declinanda pernoſcere apta remedia præſcribere, ad horum executionem diligentiſſimè incumbere, & ante omnia edictum ſpeciale quotannis in Eccleſia legendum extradere.

Quoad 1mum: Ergo Epiſcopus in viſitatione ſciſcitetur à Parochis his vel ſimilibus quæſitis.

1mo Utrum in loco ſæpe accidant voluntarii vel involuntarii abortus.

2do. Utrum Parochi omnem operam ad eos impediendos adhibeant & qualem?

3tio. Utrum ſaltem in Civitatibus noſocomium ſit cum rota cum tintinabulo, quo projecti ad vitanda immania diſcrimina inferantur? Aut ſi deeſt noſocomium, utrum univerſitas eosdem excipiat,

vel

vel ob rotæ defectum ſub dio publicis locis exponi ſoleant cum periculo ne à canibus devorentur? Et an projectis iisdem ſive cum ſchedula de baptismo teſtante, ſive absque illa repertis, juxta Romana Decreta conditionatus baptiſmus miniſtrari consveverit.

4to. Utrum debita cura vigeat baptisandi abortivos, & an credulitate feris ipſis ignota occidantur?

5to. Utrum fætus ipſi primorum dierum, qui dant vitæ ſigna per motum præmiſſa conditione baptisentur? Et an idem fiat, quando licet motum non oſtendant, non tamen laceri ſunt nec corrupti; atque' ideò certo exanimes eſſe non conſtat.

6to. Utrum nonnati, ſi baptiſari poſſunt vel nati aut abortivi, quamvis aliquando ſine motu, ſine

ſine pulſu, ſine reſpiratione & ſenſu mortui videantur, cum revera ſæpe non ſint: dummodo putrefactionem & alia indubitata mortis ſigna non præſeferant cum conditione citiſſimè baptiſentur: curandi poſteà, ſi fortè ad vitæ munia erigi poſſint.

7mo. Utrum conjugati modum conferendi premente neceſſitte baptiſmum ejusq; materiam ac formæ verba percalleant? utrum hac in re per Parochos circa examen ante nuptias edocentur?

8vo. Utrum Parochi eorumq; Adjutores in miniſtranda Sacra Euchariſtia vel pænitentia mulieribus conjugatis, vel nuper viduatis, at gravi morbo implicitis inveſtigent, an illæ ſint gravidæ: & an idem præſtent, ſi ipſæ matrimonio quidem ſint ſolutæ, verùm prudens aliqua ſuſpicio vel timor exoriri poſſit gràviditatis earum?

9no. Utrum Parochi in partu Cæſareo ſuadendo & procurando ſint accurati, eiq; per ſeipſos ad baptisandum infantem aſſiſtant, ita ut in mores abiierit?

10mo. Utrum partus cæsareus generatim ut debet, in gravidis omnibus defunctis peragatur: an illis tantum, quæ in partu vel nono mense moriuntur: omittatur autem in gravidis menſis unius, duorum, trium &c.

11mo. Utrum consangvinei prægnantium defunctarum partui cæsareo adverſentur eumq; negligant vel impediant: & utrum Parochi, ubi eos obſtinatos viderint, ſæculare brachium invocent, ac laici magiſtratus illud impertiantur?

12mo. Utrum in oppidis ac pagis inveniatur, qui ſectionem efficere noverit, & utrum hic juſta ſit mercede contentus: an verò poſtulet excedentem?

13tio.

13tio. Utrum post prægnantis mortem sectio fiat illicò: & an dum expectatur peritus ad pueri vitam conservandam, gravidæ venter pannis ad ignem calefactis foveatur.

14to. Utrum sectio omittatur eo vano prætextu: quod longum præterlapsum sit tempus à morte prægnantis?

15to. Utrum in oppidulis reperiantur sedes, seu scamna pro partu; & Chirurgi; qui in partu difficili peritiâ suâ & instrumentis parturientem juvare valeant vivumq; infantem extrahere incolumem?

16to. Utrum in partubus desperatis cæsarea viventium incisio in morem venerit?

17mo. Utrum obstetrices pueros periclitantes, quamvis prorsus in utero sitos, dummodo saltem syphunculô physicè lavari possint cum conditione baptisent?

18vo. Utrum Parochi saltem quotannis obstetricum de baptismo administrando examen renovent, sive baptismus ab eis collatus reiterari soleat, sive non: & illas erudiant, moneantq; juxta dicta superius?

19no. Utrum Parochi baptizma domi præsertim ab obstetrice collatum diligentissime discutiant?

20mo. Utrum Parochi de Orationibus maximè à Parentibus pro nonnatis ad Deum sæpe fundendis: deq; aliis hucusque notatis populum ex professo saltem semel in anno reddant instructum?

Vel si hæc quæsita propter multitudinem eorum cæteris pro Visitatione apponi non possent: saltem hoc generale inserendum scilicet: Utrum Edictum hac in materia promulgatum legi & quoad omnia puncta servari soleat?

§. 6tus

§. 6tus.

Malorum deinde remedium illud erit nimirum regulas aliquot præscribere illaq; aut Edicto Constituonibus Synodalibus inserere.

Ac primo statuat Episcopus non tantùm Obstetrices ad munus exercendum non admitti nisi post examen circa baptismum, & postquam ipsis alia ut supra scitu digna tradita sint; sed etiam istud examen singulis Annis esse renovandum. Obstetricibus hanc renovationem recusantibus ab Officio interdictis.

2do. Deinde cum futuri sponsi ante proclamationes circa fidei rudimenta examen subeunt, de modo etiam baptismum conferendi, cujus ipsi urgente necessitate ministri aliquando vel Testes esse debebunt, examinari decernat.

3tio. Statuat, ut semel saltem in anno puta die Beatis Innocentibus dicata ad id opportuna, aut Dominica proxima ac præterea ubi se se præsertim in catechismis dabit occasio Parochi sub aliqua mulcta de cura pro nonnatis habenda populum edoceant.

4to. In nosocomiis aliisq; piis domibus quibus projectorum cura incumbit rota cum tintinabulo pro eorum receptione stabiliri præcipiat.

5to. Jubeat projectis generatim sive cum schedula de recepto baptismate, sive sine illa repertis baptismum conditionatum esse renovandum.

6to. Indulgentiam concedat omnibus. 1mo. Qui Parocho procurantes abortum impediendi gratia denuntiant. 2do Alicujus moribundæ graviditatem Parocho revelantibus. 3tio. Abortivos bapti-

san-

santibus & ad id cooperantibus. 4to. His qui ſvaſione aut aliter quomodocunque partui cæsareo defunctarum induſtriam ſuam contribuunt, vel etiam partui cæsareo viventium. Jnsuper his, qui qualitercunq; fætui vel parturienti ad eos liberandos opitulantur. Demum projectos piè ſuſcipientibus baptisari & educari curantibus, vel eis quoquo modo ſive ad animæ corporisve ſalutem opitulantibus.

§. 7mus:

Quod verò ad pænas, profectò spirituales parcè sunt irrogandæ.

Si autem Episcopo videbitur expedire, poterit excommunicationem etiam ipso jure ſecuto abortu vel omiſſione cæsarei partûs ac parvuli morte incurrendam imponere.

1mo.

1mo. Contra eos qui certo ſcientes procurari alicujus gravidæ abortum, nec aliter impedire valentes Parocho non revelent: ſatius tamen in hoc casu ferendæ ſententiæ excommunicatio decerni poſset.

2do Contra eos qui non denuntiant mortuam utero gerere, quanquam ſangvine vel affinitate conjuncti ſint.

3tio. Contra eos qui inciſionem ad extrahendum fætum etſi mercede prorsus deficiente detrectarent.

4to. Contra consangvineos domeſticos & alios, qui inciſionem impedirent, etiamſi deinde fieret ſedirrito eventu propter antecedentem ſcilicet reſiſtentiam. Poterit autem Antiſtes pro excommunicationis pæna in prænotatis perſonale interdictum, ſi malit ſubſtituere.

5to.

5to. Nec impunes relinquendi sunt Parochi negligentes: proinde in eos mulcta gravis vel pæna suspensionis vel simul ambæ statui poterunt. Nempe. 1mo. Ubi in casu resistentiæ Magistratus Laici brachium non postulaverint, vel si opus fuerit ad Episcopum vel ejus Officium non convolarint. 2do. Præcipi etiam eis convenit, ut si aliquis intereà puer absque baptismo decesserit, ipsi rogatis tunc sibi de adhibita à se diligentia testibus omnino ad Præsulem vel officium referant, vg: intra octo dies sub eadem suspensione, ut delinquentes pænis Canonicis puniantur. 3tio. Pæna quoque suspensionis imponi poterit Parochis omissa gravidarum mortuarum incisione per se aut quempiam alium Sacerdotem sepelientibus easdem.

Pro executione tamen Regularum, quas favore Infantium Præ-
lati

lati deſcripſerint oportebit, eos cum ſæculi Principibus agere: ut novis ſanctionibus de non ſepeliendis ante inciſionem gravidis ſub pæna leges decernant: ut pænam ſtatuant contra Magiſtratus, ſi à Parochis requiſiti, non illico brachium ſæculare concedant. Statutum quoque inſinuabunt contra procurantes abortum, vel illegitimorum filiorum baptiſmum aut eorum ſepulturam negligentes. Nec deſinent etiam pro expoſitis ſeu projectis inſtare, ut eadem lege ipſorum incolumitati & educationi conſulatur. Ad quod maximè conducet, & rotæ ubique præſertim in locis popularibus erectio, & Deputationis Virorum projectorum ſaluti conſulentium inſtitutio. Chirurgorum per loca diſpoſitio, eorumq; Examen. Talem ſollicitudinem pro nonnatis & proiectis Aliarum Nationum habuêre & hucuſque habent Principes: cum totam fere doctri-

nam

nam hoc opuſculo clausam ſuis in edictis promulgarunt: uti patet ex Edictis Henrici 2di Galliarum & Friderici 5ti Boruſſorum Regum, Caroli utriusque Siciliæ. Quæ edicta adducit Author Folio 486to. Uti & mandatum perpetuum Protomedici Regni Siciliæ. Jtem Epiſtolam Promotoris Fiſcalis Magnæ Curiæ Siculæ, hac in materia editorum. Quibus monumentis & exemplîs Principes ſæculi ad ſimilia ſtatuenda perquam facile adducere poterunt Prælati ſua vigilantia præeuntes, & ſua edicta hac in re publicari facientes, prout in multis Diæceſibus edita ſunt & publicata. Quale eſt edictum Petri Galleti Epiſcopi Catanenſis de partu cæsareo. Catanæ. Calendis Junii 1742do datum. Laurentii Joenii Episcopi Agrigentini pro mulieribus gravidis & moribundis. Agrigenti. 3tio Calendas Auguſti 1744to.

Ja-

Jacobi Episcopi Pactensis Inquisitoris Generalis. Pactis. 6to. Idus Aprilis 1742.

Francisci Conradi Metropolitanæ Ecclesiæ Monregalensis Vicarii Generalis sede vacante 11mo Calendas 8bris 1749.

Sylvii Cardinalis Valenti Gonsaga Archimandritæ Messanensis 5to Nonas Martij 1750.

Marcelli Muscellæ Abbatis Sanctæ Luciæ Nullius Diæcesis 4to Idus Maij 1750.

Vincentii Mariæ de Francisco Episcopi Liparitani Archi-Episcopi Peleusensis, 5to. Calendas Junii 1758.

Ac aliorum Episcoporum in hac materia edicta publicata in suis Diæcesibus, quæ cum contentis secum coincidant consulendo brevi-

vitati unicum Archi-Episcopi Panormitani primi in Siciliæ Regno Metropolitani adduco.

Nos Fr. D. Joseph Melendez &c. Archi-Episcopus &c.

Horribilis quidem & numerosa ſtrages illa fuit, quam olim Jnnocentium parvulorum Corporibus Herodes intulit: at multò numeroſior eſt, atque funeſtior altera, quam quotidie in tot animabus puerorum ſine baptiſmate decedentium Sathanas exercere conſvevit. Prima enim tandem ad ornandum Martyribus cælum, ſecunda verò ad implendum reprobis lymphum inſervit. Jnfelicium ergo parvulorum miſeratione commoti debitam Paſtoralis noſtri muneris partem judicavimus, hoc perpetuo edictô admonere, inculcare, ac reſpective præcipere, quæ ſequuntur.

I.

I. Ac primò Patribus, Matribusq; denuntiamus, eos ad vitam prolis conservandam ejusq; bonum spirituale procurandum adstringi. Prægnantes igitur omnia quæ ipsis abortum creare possunt evitare tenentur: puta pondera nimis ingentia attollere, valde laboriosa opera adoriri ac similia factitare. Contra verò ad ea omnia præstanda obligari, quæ ad fœtus conservationem necessaria existimantur. Si enim grande peccatum est, generationem tantum modo impedire; quantò majus erit ex malitia vel negligentia abortui causam præbere, quamvis fætum nondum animatum esse credamus.

II. Qui quomodocunque mulieris abortum animato fætu sollicitet, verum atque horrendum unius vel plurium innocentium, quot forte fætus erant, perpetrat homicidium; nec tantum corporis sed & ani-

animæ: cum facilè ſine baptiſmate moriantur. Jncidit etiam ipſo facto in excommunicationem Papæ reſervatam quæ non ab aliis ſed à nobis tantum absolvi poterit.

III. Qui aliquem noverit abortum procurare: ſi non alia ſupereſt via: Parocho ut is provideat revelare tenetur.

IV. Cum incertum ſit animationis tempus, quam plerique Authores primis graviditatis diebus contingere putant, in quocunque abortu ſedulo inspiciendus eſt fætus: ac ſi quantumvis exiguus & imperfectiſſimè figuratus aliquem tamen motum oſtendat, illico ſub conditione: *Si es capax* baptiſetur: ſi verò motum non oſtendat, ſed nihilominus humanus Embryo eſſè dignoscitur, nec tamen contusus vel corruptus; eo ſanè casu, quia fortè vivit, quamvis moveri non poſ-

ſit,

ſit, quod organa ad motum adhuc apta non habeat: graves Doctores baptiſandum eſſe ſub conditione docent, atque ita nos faciendum eſſe monemus.

V. Baptismus juxta Synodum ante tertium diem infantibus conferatur: neque hi ante ſecundum annum expletum in lecto se in cunis collocentur, ne opprimi vel ſuffocari contingat: præsertim ſi manuiculas habent faſciis incluſas:

VI. Prægnans ubi moriatur, partu cæſareo juxta Ritualis præceptum incidenda. ut fætus extrahatur & illico baptiſetur. Qui inciſionem impedit vel graviditatem ſciens, non eam Parocho antequam exſpiret gravida revelat; lethaliter peccat, nos autem tam inciſionem impedientibus quam perito eam aggredi recusanti effectu ſecuto, mortuo ſcilicet infante ſine baptisma-

smate excommunicationem ipso facto ſubeundam nobiſque reſervatam imponimus.

VII. Jnciſio nec in graviditatibus illegitimis omittetur; maxima verò prudentia, perſpicacia, cautela & ſilentium adhibebitur.

VIII. Peritus autem sub gravi peccato ad inciſionem faciendam tenetur, quamvis mercedem non ſperet etiam in dubio an fætus vivat. Quodſi Chirurgus deſit, ex Decreto Pragmaticæ latæ 5to. Jdus Auguſti 1749no. inciſionem præſtabit obſtetrix vel barbitonsor, vel Medicus, Phyſicus, vel alter, qui ad rem ipſam præ aliis magis aptus eſſe videatur: dum verò expectatur, qui inciſionem ſit exequuturus; defunctæ venter calidus conservetur.

IX. Parochi eorumque adminiſtri ſub gravibus arbitrio noſtro

pænis aquam lustralem gravidis defunctis ac sepeliendis non impertientur nisi prius extracto fætu. Si autem propinqui domesticive defunctæ incisionem detrectabunt, Parochis præcipimus omnia protinus media pertentare, ut eos ad officium inducant, maximè autem expediet statim ad Officiales justitiæ sæcularis convolare qui ejusdem Pragmaticæ virtute sub gravibus pænis obstantes incisioni compellere Chirurgum vel alium ad eam exequendam adigere, & de omissionibus rationem reddere tenebuntur.

X. Incisio juxta Rituale postquam prægnantis mors certa deprehendetur, fiet illico: semperque indagandum erit, utrum fætus unus, an multiplex fortè sit: at si mora intercesserit qualecunque tandem tempus elapsum sit nunquàm prætermittatur; vivi enim infantes post unum vel alterum diem quan-

tum-

tumvis mole minimi, aliquando inventi ſunt.

XI. Tum in abortibus tum in partubus naturalibus, vel cæſareis, fætus etsi deformis, non occidatur: ſi autem verum ſit monſtrum, tunc quoad baptiſmum ipſi miniſtrandum vel denegandum rituale ſervetur: ac ſi dubium remaneat tempuſque permittat, res nobis deferatur vel Parocho aliisve peritis: ubi verò periculum eſt in mora ſub conditione baptiſetur.

XII. Si quis autem monſtra interficiens certò vel dubiè rationabili anima informata, obſtaculo eſſet, quominus ad baptiſmum vel absolutum vel reſpective conditionatum pervenirent, ipso facto in excommunicationem nobis reſervatam incurret.

XIII. Contra vero Jndulgentiam dierum quadraginta elargimur

ei, qui, cum tentatur abortus, id Parocho ad finem impediendi denuntiat: vel moribundæ graviditatem revelat: insuper qui abortivos baptisat, vel ad id cooperatur: qui partum cæsareum efficiendum procurat: qui quoquomodo fætui subvenit: vel gravidæ adjuvandæ etiam illo extincto dat operam. Cæterum noverint omnes, quod sicuti qui alicui ex prædictis infantibus causa perditionis extiterint, in terribilem superni numinis incident ultionem: ita Divina munificentia eos, qui æternæ illorum cooperabuntur saluti, remunerari non desinet.

XIV. Quapropter præsens Edictum quotannis in hac Metropolitana Ecclesia, omnibusq; hujus Diæcesis Parochialibus die Sanctis Innocentibus dicato perlegendum, qua sumpta occasione Parochi novo examini de modo baptismatis ministrandi subjicient obstetrices:

quod

quod & nunc facient ſtatim ac Edictum ipſum pervenerit: ac deinde ſingulis annis unà cum Vicariis foraneis communi Epiſtola infra dies quindecem magnæ huic Metropolitanæ Curiæ, ante dictum reiteratum examen, lectionemq; ſignificabunt. Datum ex Noſtro Palatio Archi-Epiſcopali 6to Jdus Januarii 1750. Ex Mandato Dominationis ſuæ Jlluſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Sac: Joannes Robba Cancellarius & Magiſter Notarius.

§. 8vus.

De Principum Officio circa nonnatos & de cura projectorum.

Officium Patris non iis, qui nos genuêre, verùm & Principibus, qui Patres Patriæ ſunt, convenit. Unde & hi quam eorum Adminiſtri ac Magiſtratus utilitati infantulo-

tulorum, qui ſunt tanquam germina Reipublicæ, prospicere pro munere ſuo tenentur. Hæc autem ſollicitudo in tribus conſiſtit. 1mo. in impediendis Abortibus. 2do in ſectionibus cæſareis defunctarum promovendis. 3tio. in providendo, ut in partubus difficilibus auxilia opportuna tam proli, quam Puerperæ adhibito etiam, ubi expedierit Cæſareo viventium partu, conferantur. Quare in hac materia Supremos Principes, Leges & Statuta edere oportet Prout Carolus Rex utriuſque Siciliæ hac in re Conſtitutiones ſequentes de Anno 1749no. 9na Auguſti per edictum publicum ſequentes, quæ in exemplum & normam adducuntur.

I. Ubi ergo quæcunque prægnans cujuscunque gradus & conditionis obierit; ſi maritus, propinqui vel domeſtici ejusdem probabilem opinionem habuerint eam utero

ro gerere, omnibus his incumbat onus curandi, ut facta primum indagine, utrum revera exſpiraverit; eadem illico media operatione cæſarei partûs incidatur, utque conceptus infans extrahatur & baptiſetur. Ad quem finem aſſequendum convenit anteà præmonere Chirurgum aliumve peritum, ut infra explicabitur, qui dictam operationem efficere debebit, ut ille neceſſariis omnibus præparatis ad eam peragendam promptus inveniatur. Quod ſi fortè peritus haberi ſtatim non poſſet: prædicti, quouſque accurrerit ille, operam dabunt, ut prægnantis defunctæ venter pannis lineis igni admotis calidus interea conſervetur.

II. Operationis faciendæ onus principaliter chirurgis imponimus, & in eorum defectu obſtetricibus aut barbitonſoribus, atque, ubi iſti minus idonei fuerint, medicis phyſicis.

ficis vel aliis, qui potius eligendi videbuntur. Atque ideo jubemus, ut in posterum ii, ad quos pertinet, aliquem ad barbitonsoris vel obstetricis munus nequaquam approbent, nisi prius medio examine de modo cæteroqui facillimo, cæsareum partum defunctarum, ubi expediat, exequendi satis peritum se se probaverit. Quocirca jubemus Regium Protomedicum in omnibus hujus regni Civitatibus & locis breviter simul & dilucidè prædictæ incisionis methodum decerne describere ac publicare, quam volumus ab iis, ad quos attinet unà cum regulis ad nonnatos infantes adjuvandos magis necessariis aliisq; similiter, quæ ipse pro minus peritorum instructione præscribenda duxerit, exactè observari.

III. Chirurgis aliisve, qui operationem, ut supra præstituri sunt, mercedem aliquam petere interdici-

cimus, ubi defunctæ maritus vel cognati, qui ſolvere tenerentur, vel ipſa defuncta pauperie laborent: ubi tamen hi ſolvendo eſſent, non propterea illi mercedem, quæ conſtitutionem Protomedici taxam excedat, exequirere poterunt: de ipſa verò nunquam paciscentur, imo neque mentionem ullam habebunt, niſi jam operatione peracta. Jta ut ſi Chirurgi, Medici, Barbitonſores, vel Obſtetrices aliusve, qui in eorum defectu ab Officialibus juſtitiæ ad ſectionem idoneus exiſtimaretur, quacunque ratione ad parendum huic Legi difficiles ſe ſe oſtenderent, & propterea quanquam ad breve tempus partum cæſareum remorarent; Officiales Juſtitiæ loci, & eorum quiſque illis biennalis carceris pænam, quam ſtatuimus, aliaſq; noſtro, noſtrorumq; ſucceſſorum arbitratu infligendas interminabit. Similiter tamen eoſdem Officiales adſtringimus ad curandum, ut

ut viceversa palatino modo & absque ulla judicii figura, justum ac debitum stipendium à defunctæ propinquis, vel respectivè hæredibus operationem administrandi diligentissime persolvatur.

IV. Ubi gravida marito careat, propinquis atque domesticis; tenebuntur vicini & alii, qui graviditatis præsertim illegitimæ, notitiam habuerint, justitiæ ministros cum supradicto præventu implorare, quo celerrimè, opportunè, & ex officio dent operam, ut ipsa incisio peragatur: saltem ejus faciendæ curam, si in loco extiterit nosocomium, ipsius Rectori committendo, vel aliam sanè viam ineundo, quam pro majori celeritate, opportuniorem judicabunt, ac similiter si prægnans maritum vel alios propinquos aut domesticos haberet quidem, at incisionem isti negligerent, maxime, si prægnatio sit illegitima, ipsi

ipsi vicini magistratuum officium, ut hi provideant, implorare tenebuntur.

V. Omnium quoque hujus Regni nosocomiorum Rectoribus ex proprii muneris debito, insistendum erit, ut hujusmodi incisio in gravidis, quæ in eorum nosocomiis decesserint, pari modo efficiatur.

VI. Ubi clarè non constet (constare autem est difficillimum) fætum in utero defunctæ mulieris existentem jam obiisse, præsumendus semper est vivens: proinde incisionis cura & executio ab iis ad quos, uti supra dictum est, pertinebit, quodcunque tandem tempus à morte matris elapsum sit omitti non poterit: cum plurima exempla demonstrent, nonnunquam infantes Matri per diem & amplius in utero supervixisse.

VII. Diſtrictè prætereà decernimus, neque prægnantis defunctæ maritum neque propinquos, neque alium, nemine prorsus excepto, poſſe incisionem impedire: in caſu autem impeditionis Loci Officiales hujus Pragmaticæ perpetuo valituræ auctoritate, viribus curiæ realibus & personalibus remedium adhibere debebunt: adeo, ut incisio abſque ulla minima temporis jactura executioni mandetur; qui vero ſe ſe illi opponent, pænis infra irrogandis erunt obnoxii. Officiales etiam, & unusquiſque ipſorum, qui hujus rei notitiam quamvis privatam & extrajudicialem ſortiti, non tamen conveniens remedium attulerint, prout ipſis virtute hujus Pragmaticæ vehementer injungitur, de omiſſione rationem reddere tenebuntur: & ipſo facto ſi nobiles in pænam triennalis Carceris in caſtro, ſi verò ignobiles præter triennalem carcerem in alias in-

ſu-

ſuper pænas nobis, noſtriſq; ſucceſſoribus reſervatas incurriſſe intelligantur.

VIII. Quoniam verò contingere poterit, ut aliqua defuncta illegitime utero gerat, quæ virtute præsentis Pragmaticæ Personarum exceptionem non admittentis, ac ſub pænis anteà expreſſis & infra exprimendis, incidi ſimiliter debet: cumq; timendum ſit, ne illius propinqui, ut a dedecore, quod fortè ſibi occaſione partûs cæſarei obventurum putant, graviditatem occultare contendant ſectionemq; impedire; Statuimus ac præcipimus omnibus, & quibuscunque juſtitiæ Officialibus peritis, & aliis, qui operationis cæsareæ mulieribus illegitimè gravidis faciendæ ſcientiam habere, vel ei quomodocunque operam dare debebunt; ut qualibet oppoſitione & opinione propinquorum contempta, illam perficiant: omni

omni tamen prudentia, dexteritate, & silentio utentes; ita ut nemini prorsus, qui operationi non sit omnino necessarius, ejus rei vel levis notitia communicetur. Eosdem ergo præmonemus, quod ubi sive ex malitia, sive etiam ex negligentia rem debita prudentia ac dexteritate non bene gesserint, ad ipsorum punitionem pro ignaviæ & inobedientiæ ratione deveniemus. Qui tamen ante dictam executionem impedire tentabunt vel ei se se opponent; pænis contra partus cæsarei detrectatores, in hujus Pragmaticæ fine sanciendis meritò subjicientur.

IX. Parochos insuper omnes hujus Regni etiam atque etiam hortamur: ut legum Ecclesiæ memores, majori, qua possunt diligentia, atque solertia vigilent: ne unquam mulieres in graviditate defunctæ sepeliantur, nisi facta prius incisione. Jtaque hasce prægnantes

ad

ad ſepulturam deferri, eiſq; luſtralem aquam impertiri nullo ſanè modo permittant: quinimo per ſemetipsos ubi propinqui obſtent, Officialium localium auxilium invocabunt, qui uti ſupra dictum eſt, de re ipſa rationem erunt deinde reddituri. Similiter quoque Reverendiſſimos *Archi-Epiſcopos Epiſcopos & Abbates in hoc regno juriſdictionis Eccleſiaſticæ uſu pollentes hortamur, ut Parochos & alios Eccleſiaſticos homines ſibi ſubjectos ante dicta omnia implere adigant, ſub pænis illis, quas adversus eos in ſuis edictis vel Diæceſana Synodo pro rei gravitate & magnitudine decernendas arbitrabuntur.

X. Quanta maximè fieri poteſt ſeveritate, non ſolum ſub pænis infra exponendis interdicimus, nè qua omnino prægnans, quoliqet excogitabili modo abortum procuret:

ret: ſed & ne alii ad ipſum quidquam auxilii, quamvis minimum, cooperationem conſiliumve contribuant ſub pænis iiſdem. Prohibitum ſit præterea medicis, chirurgis, Obſtetricibus, Barbitonſoribus, pharmacopolis cæteriſque omnibus praſcribere, porrigere, adhibere, aut vendere Medicinas vel alia quæcunque remedia ad finem adeò perniciosum conducibilia. Supradictis ergo jubemus, ut majori qua poſſunt circumſpectione ſemper utantur ubi in ſuspicionem venerint, ſive gravidas ſive alios prædicta pharmaca vel alia remedia, eo pravo conſilio abortum ſcilicet procurandi poſtulare: cum eo casu manum retrahere debeant & ab eis dandis vel exercendis abſtinere. Jn prægnantium autem curatione teneantur Medici ſumma diligentia, atque cautela, a charitatis lege imperatis incedere, ne concepto fætui

me-

medicaminibus à se tribuendis nocumentum, aut mortis vel abortus periculum inferatur. Quocirca eos etiam hortamur, quibus compertum est abortum procurari, ut si alius impediendi modus non elucceat; id potestati seu justitiæ Capitaneo vel alicui Officiali secretò denuntient: quo ad malum arcendum ipsi media opportuna disponant.

XI. Jn graviditatibus illegitimis onus erit hujusmodi Magistratuum aliórumve Officialium, ad quos earum notitia pervenerit & cæteroqui prudenter timere poterunt, ne aliquis ex malitia sequatur abortus: quantocitius ad prudentes ac secretas præmonitiones & cautelas pro partûs custodia procedere possunt, ut prægnans ejusque propinqui congruo tempore de fætu respondere teneantur, ac si prægnans pauper sit, obstetricem ali-

quam

quam, aliamve perſonam, quæ ſollicitudinem illius gerat, deputabunt: omnem tamen adhibendo circumſpectionem, charitatem, zelum, atque ſilentium, quæ in ſimilibus requiruntur.

XII. Volumus etiam, & hujus Pragmaticæ virtute ſancimus ne unquam in abortibus, qui amodò contingerint, conjuncti domeſtici aliive, qui fortè aderunt, fætum imprudenti ſocordia projiciant vel derelinquant: ſed attentè ac diligentiſſimè perſcrutentur, an vivat: quo ſtatim quid circa baptiſmi collationem agendum ſit, deliberari poſſit.

XIII. Pari modo ſtatuimus tam in abortu, quam in partu naturali nemini licere fætum, quia deformem occidere, ſicuti barbaro certè more multoties factitatum eſt: ſi tamen verè ſit monſtrum, Parochum eſſe advocandum: ut juxta

Eccle-

Ecclesiæ Leges in Rituali præscriptas, utrum Baptismus dandus vel denegandus sit, judicet ipse: vel si necessarium videatur, atque per tempus fortasse liceat: Episcopum consulat aliosque peritos.

XIV. Demum præcipimus atque statuimus, quemcunque hujus perpetuò valituræ pragmaticæ transgressorem, sive maritus ille sit, sive sanguine conjunctus, vel conjuncta uti supra, sive alia quævis persona, cujus dolo impedimento vel negligentia Cæsarei partus operatio cum damno fætûs omittatur, aut saltem retardetur, eum insuper, cujus malitia violentus abortus, ut anteà dictum fuit, evenerit: habendos esse criminis homicidii patratores. Quapropter contra dolosos, hujuscemodi reos, & negligentes transgressores vel impedientes, Officialibus Justitiæ hujus Regni mandamus: ut severiori qua possunt,

methodo processum omnino construant, illosque carceribus tradant, & consueta forma & juxta ritum legesq; Regni capitali judicio persequantur, quo deinde ab iis ad quos pertinet, pro ratione tum qualitatis & circumstantiarum in crimine; tum doli & gravitatis negligentiæ repertæ ad pænas damnari valeant, quibus homicidia coercentur. Jstorum ergo maleficiorum notitiam ubi contigerint ad nos, prout facere tenentur in aliis per Tribunal Magnæ Regiæ Curiæ Criminalis transmittant: cui quidem contra prædictos transgressores nisi iidem loci Magistratus meri, & mixti imperii gaudeant exercitio, privativè procedere jubemus nullo pro hujusmodi Criminibus fori Privilegio, quamvis, maximo, quo rei fortè muniti sunt beneficio admisso. Volumus enim eos in casibus antedictis Regiæ Majestatis jurisdictioni Ordinariæ unicè ac privati-

vative subjectos. Regium insuper Fiscum posse in defectu accusatoris principaliter agere & subintrare, ut adversus reos judicium instituatur, ipsique puniantur. Jubemus denique præsentem constitutionem in suis omnibus articulis, ac sensibus totoque tenore, utpote hujus regni legem inviolabilem atque perpetuam ad amussim & diligenti executione servari. Quocirca, ut unusquisque illius scientiam assequatur, statuimus eam consveta formâ publicandam esse, atque ab iis ad quos pertinet, debitis locis registrandam: neque secus ullatenus a quoquam esse faciendam. Datum Panormi die 9na Augusti duodecimæ Jndictionis 1749no.

2do. Eggregia est etiam Friderici ad præsens Borussorum Regis constitutio de erudiendis Obstetricibus. In qua præcipit, ut Calendis 8bris Anni 1751mi in posterum.

rum Obſtetrices in Theatro Anatomico Berolini per Anatomes Profeſſorem omnia ſibi ſcienda edoceantur neque deinde ad obſtetricandi munus ullæ admittantur, niſi de inſtructione & examine exhibeant documentum. In hac materia non deſunt & aliorum Regum ac Principum Edicta, ac ſtatuta imitatione digna.

3tio Jnter præcipua autem ad impediendos abortus media ſingulariſſimum eſt: Principum erga projectos infantes diligentiſſima Providentia: quæ ſi deſit facilè matres illegitimè concipientes, abortum aggredientur aut pueros necabunt.

4to. Ante omnia itaque ſciendum eſt: quod ubi deſit fundatio pro alendis projectis infantibus: onus hoc pertinet ad Communitatem hujus loci, in quo projecti reperiuntur. Quia unaquæque communi-

nitas debet ſuos pauperes alere: & extrema procul dubio eſt projectorum tam in anima, quam in corpore indigentia. Quod ſi reditus Communitatis ſint tenues, aut nulli, deveniendum eſt ad collectas proportionate in Jncolas loci imponendas, qui ſi pauperes ſint, tenebitur loci Dominus, ſi autem regia, Rex ipſe.

5to. Unde curandum omnino eſt, ut ubi ſunt noſocomia projectis alendis comparata, ligneum veluti tympanum verſatile, quod rota dicitur, perpetuò habeant, in muro exteriori ſitum, cum tintinnabulo: ad cujus pulſum diu noctuq; aliqua perſona ſit prompta, quæ infantem rotæ impoſitum excipiat.

8vo. Ubi noſocomium projectorum deſit, collocanda erit rota in noſocomio pauperum ſi extiterit, vel in domo Parochi vel probæ alicujus Obſtetricis vel alibi: dummo-

modo ſemper locus non valdè publicus ſit. Et ſi erecta in aliquò loco rota, nihilominus infantes alibi expoſiti ſint, ſignum erit, locum rotæ incommodum eſſe ac propterea mutandum.

9no. Qui expoſitum ubicunque ſive in oppido aut pago, ſive in eorum territorio repererit, ad loci Noſocomium, ſi hoc projectos alit, vel ad Urbanum Magiſtratum eundem portabit. Expoſiti enim ad eam univerſitatem attinent, in cujus Territorio inveniuntur, niſi conſtet, ex quonam alio loco provenerint.

10mo. Jurabit tamen inventor ſe neſcire puerum eſſe à legitimis Parentibus ortum. Similiter Obſtetrices, quæ in partu illegitimo occultè miniſtrabant puerperæ, juramento confirmabunt quod infans quem ad Noſocomium vel univerſita-

ſitatem attulerint ſine ſcandalo, infamia, aut periculo ſuo vel Parentum ab his nutriri non poſſit.

11mo. Jnfanti reperto, niſi in proximo mortis periculo eſſe videatur, fasciæ diſſolvuntur, ut inſpici poſſit, utrum aliquo vulnere laboret: poſteà illicò ad Parochum baptizandus deferatur, qui ſub conditione omnino baptisabitur, ſive ſchedulam de baptiſmo teſtantem habeat puer, ſive non. Jta reſolvit Sacra Congregatio propoſito ſibi tali dubio 18va Decembris 1723 Excipe Casum, quo certitudo ſit de Scriptore ſchedulæ. Quam certitudinem Benedictus XIV. qui cum Decretum ederetur (ut ipse narrat Lambertin. t. 1. notifi: 8.) Sacræ Congregationis erat Secretarius, ita ex mente ipſius Congregationis explicat, ſcilicet: cum ſciri poteſt ſchedulæ Scriptor, iſque

que talis est, cui fides possit ac debeat adhiberi.

12mo. Nosocomiorum vel Universitatum Rectores nullo unquam prætextu sub arbitrariis pœnis occultos projectorum Parentes inquirant: hac enim inquisitione Parentes perterriti puerulos occidunt. Excipitur casus in quo indicium prudens habeatur, infantem a legitimis parentibus esse projectum: re enim probata, illis restituendus esset. Quanquam Parentes, si non sunt pauperes tenentur ad expensas universitati compensandas, vel etiam nosocomio, ubi hoc non omnibus projectis obnoxium sit, sed tantum pauperibus.

13tio. Universitas vel nosocomium codicem habebit, in quo nutricis ejusque viri nomen, atque cognomen eorumq; habitationis locus adnotabitur. Item nomen & co-

cognomen infantis, ejus ætas, locus, ac dies, quibus inventus eſt, & à quo: denique dies quo nutrici commiſſus merceſq; conventa ſingulis menſibus anticipata præſtatione ſolvenda. Aſſumendæ autem pro Nutricibus ſunt Mulieres non aliter, niſi Parochi teſtimonium de vita & moribus & de ſufficienti in Catechiſmo peritia habeant.

14to. Primo die Menſis cujusvis unum ex Rectoribus Univerſitatis vel noſocomii nutrices convenient: qui mercedem rependet, ſignum in brachii infantium, eorum valetudinem & munditiem ſcrutabitur: Negligentes nutrices juxta merita etiam acriter puniri curabit.

15to. Expedit etiam in qualibet Civitate, Oppido, Trium Virorum Deputatio inſtituatur, quorum ſaltem primus Eccleſiaſtici ſit Ordinis, ut invigilent Conſervatio-

tioni rotæ, Projectorum nutritioni & educationi, ac hac de re ſtatis temporibus Deputationi generali deferant. Quæ generalis Deputatio in Metropoli Civitate pro omnibus Totius Regni projectis erigatur neceſſe eſt.

16to. Deputatio generalis ut ſit juxta normam ordinatiſſimorum Regnorum conſtare debet ex quinque viris electis, ſcilicet ex Viro Eccleſiaſtici ordinis & in dignitate conſtituto & quatuor Nobilibus. Eisdem cooperabitur Secretarius Clericalis conditionis ſcientia & charitate ornatus, qui tamen votum in deputatione habeat mere conſultatorium.

17mo. Deputationis munus ac Officium erit, invigilare executioni Conſtitutionum, Edictorum Regni, pro projectis & cura nonnatorum emiſſorum. Ex munere item

ſuo

ſuo Deputatio ſupremæ poteſtati ſuggeret, quidquid promovendum vel præcipiendum viderit, quo hujus piæ providentiæ plenior effectus haberi poſſit.

18vo. Deputatio per vices in domo ſingulorum quinque Deputatorum congregetur. Jdque fiat ſecunda cujuſcunque menſis hebdomada, ad diſcutiendas Parochorum vel aliorum ex oppidis inferiorum Deputatorum relationes, qui in ſuis relationibus quolibet ſemeſtri tranſmittendis exprimant: Quod infantes nati ſint, quot projecti reperiantur, in quo numero ſub ſpecie mortuorum nati? quibus modis ab obſtetricibus ſolent juvari, quot adhibitis remediis vivi apparuerunt, Jtem: Utrum conſervetur rota pro recipiendis projectis, & cuſtodiatur? quæ circa educationem projectorum circa abortus impediendos, partus cæſareos diligentia?

19no.

1 9no. Deputationis Secretarius rationem habebit omnium Chirographorum & Mandatorum Principis, foliorum & Consultationum Deputationis: eaq; omnia ordinatè digesta custodiet; pro cujus pensione suggeret Deputatio media. Et hac Deputatione instituta Principes Officium suum erga nonnatos & projectos infantes facile implere poterunt.

§. 9nus.

De Medicorum in curandis Gravidis instructione: ne fœtui noceatur.

1mo. Duo sunt à Medico vitanda in similibus. 1mo. Homicidium Corporale miseri innocentisq; fœtûs. 2do. Spirituale ejusdem homicidium. His præmissis, distingvenda sunt remedia, de quorum Usu Medicus dubitare poterit.

2do. Primum genus remediorum est, quæ Matri favorabilia, non tamen fætui natura sua nociva sunt sed tantùm periculosa. Ubi purgatio præsertim fortis, quæ positivè nocere fætui valet, quatenus producendo in matre stimulum, abortûs occasio esse potest. Jtem sanguinis missio in quantitate magna, quæ illi damnum negative adferre solet, alimentum scilicet subtrahendo.

3tio. Ad secundum genus ea pertinent, quæ per se ipsa & matri sunt utilia & proli graviter nociva; eam scilicet occidendo vel per abortum extrahendo. Talia sunt medicamenta lunaria tributa moventia. 3tium denique illorum quæ natura sua ad fætus perditionem diriguntur, & solùm indirecte Matri opitulantur; uti violenta infantis per frusta extractio in partu desperato.

4to.

4to. Jn 2plici itaque casu remedia talia applicanda venirent. Vel in casu, quo ex applicatione prædictorum remediorum speraretur mors secutura infantis tam Corporalis, quam Spiritualis idest sine baptismo. Vel tantum corporalis: puta, quod infans in utero baptisari commodè possit, vel per abortum indirectè causatum fætus præsertim maturior ejectus, (quod non est impossibile) baptisari valeat.

5to. Jn 1mo Casu Theologi pronuciant communiter Matrem ad æternam Filioli vitam temporali sua præferendam obligari, adeoque à remedio proximum periculum mortis temporalis simul & spiritualis proli inferente abstinere debet: mortemq; subeundo animam suam pro animula infantis sui ponere: ut hic post mortem ejus extractus baptisetur. Jn hac potissimum extrema infantuli spirituali necessitate obli-

gat

gat præceptum Christi. Joan: 15. *Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos: majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Neque impossibile est (sicuti putat Sanchez cum quibusdam) matre in gravi morbo mortua, posse nihilominus infantem vivum ex eadem extrahi: Siquidem corrupti humores quamvis inficiant alimentum infantuli, & sæpe efficiant, ut diutius vivere & adolescere nequeat, potest tamen experientia teste & exemplis suo loco adducendis, saltim aliquo intervallo temporis supervivere, quo donari baptismo potest:

6to. Jn 2do casu, ubi scilicet ex applicatione remedii solum prævideretur mors corporalis infantuli, hujus vitæ merito vita matris præferretur. Quocirca si mater in extrema necessitate, vel gravi aliquo remedio indigeat, licitè illud me-

dicus ministrare possit, modo remedium hoc ad primum vel secundum genus spectet, & in illius propinatione Matris adjumentum directè intendatur. 3tii tamen generis medicamenta in hoc casu nullatenus adhibere licet. Quomodo enim licebit matri vitam propriam conservare innocentem ac filium trucidando? Jmo neque tunc adhiberi valent hujus tertii generis remedia, dum judicatur fœtus esse inanimatus: cum id certo affirmari non potest; Nam hodie de animationis tempore dubitatur eamq; multi statim post conceptionem evenire opinantur. Et directo abortum intendere, opponitur naturæ ac fini generationis. Unde in partu desperato nullatenus extractio pueri per partes est admittenda, etiamsi puer in utero baptisatus extiterit, & tam infantis, quam Matris mors immineret. Quamvis enim quidam doceant,

ant, illum cum moderamine inculpatæ tutelæ tanquam invaſorem manifeſtum vitæ Matris poſſe occidi: tamen aliter cum aliis ſentiendum: ſiquidem infans in eo caſu non eſt invaſor injuſtus, ſed à natura coactus. Et in praxi admiſſa tali actione tanquam licita, innumeris in. infanticidiis via aperiretur: facile namque obſtetrices, chirurgi, matres baptisato quomodocunque infante ſibi perſvaderent, tam Matris quam infantuli vitam eſſe deſperatam, eumq; cenſendum invaſorem. Quocirca ſaltem in praxi opinio contraria locum habere non debet dicente S. Ambroſio l. 3 de off: c. 9. *Si non potest subveniri alteri nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari, quam gravari alterum.* Cæterum ſi Chirurgus haberet peritiam adhibito convenienti inſtrumento infantem à Matre evellendi, cum ſpe utrumque liberandi cum

aliquali infantis periculo id non eſt improbandum.

6to. Verùm quid Medico agendum? Si in extrema neceſſitate Matris tale medicamentum eidem nosceret congruere per quod exponeret infantulum manifeſto periculo moriendi in utero. Et deinde per abortum exeundi? Et nihilominus ubi illud non propinaret, idem fætus propter intenſionem certæ qualitatis morbi æque extingvendus in utero prævideretur?

Reſpondetur: remedium tale poſſe licite in caſu hoc miniſtrari prægnanti, ſi naturâ ſuâ ſalutare matri & per accidens ſolum pueri detrimentum timeatur: At ſi natura ſua æquè ſit aptum matri juvandæ & filio disperdendo, controvertunt Authores. Alii cum Sylvio negant poſſe admoveri. Alii cum Roncaglia concedunt: dummodo non di-

re-

rectè ad fætus perniciem tribuatur: dicunt enim, quod ſic conditio infantis non efficitur deterior in propoſito casu. At contrarium dicendum eſt, ſi remedio prætermiſſo ſpes ſaltim probabilis ſupereſt: ut matre mortua baptismum per cæſareum partum infans conſequeretur.

17mo. Neque propterea animum despondeat gravida in tali casu, quaſi omni auxilio humano deſtituta. Si etenim divinæ legis amore a præſidiis humanis eidem fortè profuturis abſtinebit, inveniet Divinum, dicente Spiritu S. per os Eccl: 38. *Fili in tua infirmitate, ne despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit Te.* Jmo timendum ei eſſet, ſi fiduciam ſuam, omiſſa cautela de vita & ſalute infantis in medicamentis reponat, ne pereat propter id ipſum, ut Aſa

Ju-

Judæorum Rex. *Qui nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in Medicorum arte confisus est.* 2. Paral: 16.

CA-

CAPUT V.

De Baptiſmate parvulorum qui ad Sanctuaria reviviſcere perhibentur.

Status Quæstionis & prænotanda pro ejus ſolutione.

1mo. Referunt Authores, in Germania quædam exiſtere templa Deiparæ ſacra, in quibus parvuli ſine vita nascentes, vitam recuperare ac deinde baptiſmi gratiam pæne quotidie conſequi traduntur. Joannes Bonifacius Bagotta Adm: Orb: Chriſtian: t. 2. l. 8. id inter perpetua Catholicæ Eccleſiæ miracula recenſuit; Hæc autem ille memorat Sanctuaria, 1mum. S. Ma-

riæ

riæ de Loggau in ditione Comitum Ortemburgensium juxta fines Tyrolis.

2dum. Weissensteinense in Germania Superiori.

3tium. Sporense ibidem.

4tum. Libercourtense in Germania inferiori.

5tum. Buriense in Lotharingia.

6tum. Geldoniense in Germania inferiori.

7mum. Bethuniense ibidem.

8vum. Forunense in Flandria. Cæterum in Germania & alibi alia Sanctuaria ab aliis authoribus celebrantur adeò, ut Gobatus Th: Mor: t. 2. tra: 2. Casu 8. existimet Parentes sub gravi teneri ad parvulos sine baptismate mortuos ad talia sanctuaria deferendos, si di-

stau-

ſtantia loci non exigat plus quam iter duorum aut trium dierum.

2do. Ad Supraſcripta Sanctuaria infantes etiam ex remotiſſimis locis itinere octo, imo & decem dierum arcæ mortuariæ incluſi devehuntur: ex qua extracti ante Chriſti vel Beatiſſimæ Virginis Mariæ thaumaturgas imagines compoſiti fuſis pro eorum resurrectione precibus, ibidem ſpatio unius duorum, vel trium dierum relinquuntur: ac ubi ſigna certa vitæ dederint abſolutè, ſi dubia conditionatè baptiſantur. Signis deinde evaneſcentibûs velut jam defuncti Eccleſiaſtica ſepulturâ donantur.

3tio. Sciendum tamen, ſigna vitæ exorta in talibus infantibus, non ſemper eſſe veræ reſurrectionis veriq; miraculi documenta, niſi certiſſima mortis indicia, de quibus alibi, præextiterint: ſiquidem uti ſuperi-

periùs dictum, infantes ſæpe propè ipſam nativitatem in deliquium incidunt, ac in eo retenta vita ſub ſpecie mortuorum diu manent: deinde verò adhibitis tempeſtive remediis aut planè evigilant, aut in ipſo obitu deficientis jam jam vitæ extrema indicia præbent. Unde Amortius in ſuo Eclecticæ Theologiæ volumine bene advertit Tit: 2. de bap: q. 2. *Jtaque* ait nihil „ repugnat, infantes carentes reſpi„ ratione, etiamſi non appareat ex„ ternus vitæ indicium, poſſe adhuc „ habere circulationem, & vitam „ internam. Sicq; ſangvinem accedente alteratione tranſpirantis „ per poros äëris, & excitato quo„ dam extremo naturæ morientis „ conatu, poſſe propelli in vultum, „ auriculas & labia.

4to Cæterum ſæpe in tali caſu gratiæ & Angelorum miniſterio imputari debet, quod Deus vitam

tam infantis adhuc non extinctam conservare, vel agere dignatur, ut ipsa quæ latebat in corpore se prodat, atque visibilis fiat, baptismiq; infantem reddat capacem.

5to. Signa autem vitæ latentis certa sunt: respiratio sensus, arteriarum pulsatio, motus regularis ac propterea vitalis, item ploratus. Dubia verò coloris mutatio præsertim in rubeum; sudoris emissio; oculorum turbidorum serenatio; cessatio incipientis cadaverici fætoris; irregularis aliquis ac momentaneus labiorum vel palpebrarum motus puta oculorum, operito. Nam hæc omnia uti Medici fatentur possunt à violenta fermentatione ad putrefactionem tendente vel aliis causis procedere.

6to. Sciendum tamen est, quæstionem præsentem non esse de par-

vu-

vulis in ipsa nativitate consideratis, in his enim signa vitæ non sunt tam strictè examinanda: qui quamvis mortui appareant & sensu & pulsu, respiratione sensibili motuque careant, ubi tamen illæsi sunt oculis, flexibiles incorrupti, nec fætorem spirantes cadavericum, neque graviter vulnerati: consequenter nullum habentes mortis characteristicum signum, poterunt sine novo signo sub conditione baptisari. Quia in ipso nativitatis articulo propter creberrima Infantium deliquia, eorum mors est manifestè dubia. Controversia igitur præsens instituitur de parvulis, qui eorum jam morte comprobata per solita experimenta ad sanctuaria pro resurrectione impetranda deducuntur: quod non solum tempore immediatè partum consequente fieri non solet, sed neque tempore partui proximo, sed post spatium quatuor vel trium horarum.

7mo.

7mo. His præmiſſis reſolvenda venit quæſtio: Utrum, & propter quæ ſigna infantes qui redivivi in Eccleſiis creduntur, baptiſandi ſunt. Et quidem in hujus quæſtionis reſolutione, diſtingvere oportet parvulos, de quorum interitu dubitatur, & quorum certa ac indubitata mors eſt, variiq; cum ſuis circumſtantiis diſtingvendi ſunt caſus.

Sequuntur Caſus dubiæ mortis, in quibus baptiſmus competere poſſet vel non?

1mus Caſus. Quid igitur, ſi comprobata utcunque morte infantis non baptiſati per ſolita experimenta poſt tres, quatuor aut plures modò non ultra duodecem horas; ille ad Eccleſias deferretur, ubique dubia pateſaceret vitæ indicia; poſſetne ſub conditione baptiſari? Respondetur affirma-

mativè. Si enim in adultis repente mortuis ad aliquot horas vitæ latentis viget dubium unde etiam talium sepultura notabilius differri demandatur. Quanto magis infra terminum horarum etiam duodecem suspicari possumus, latere vitam in parvulis, ubi non adsit putrefactio vel aliud mortis characteristicum signum.

2dus Casus. Si verò parvulus sub figura mortui natus, & qui variis adhibitis remediis ad vitæ munia reverti non potuit, ad Ecclesiam post duodecem horarum spatium deferretur: quamvis neque pulsu neque respiratione gaudet, sed nihilominus incorruptus perseverat & fætore cadaverico est immunis: prætereà neque rigidus, neque valdè frigidus imò flexibilis, neque oculos habens deformatos aut panno vitreo contectos: adhuc tamen, vel quamvis revera dubia vitæ signa

gna oſtenderet adjecta conditione baptiſari poterit. Cum in caſu non conſtat certo de morte infantis. Ait autem Amortius Diſſ: 1 de bapt: p. 327. „Quando non conſtat de „morte infantis per ſigna indubitata, „& ſimul concurrunt indicia vitæ „ſaltem dubia; ſine ſcrupulo ba„ptiſari poſſunt ejuſmodi infantes, nimirum præmiſſa conditione. Et profecto parvulorum ejuſmodi, etiam non insurgentibus aliis in Eccleſia vitæ indiciis incerta eſſet ſuppoſita præſertim flexibilitate membrorum, quæ ſignum vitæ eſt poſitivum.

3tius Caſus. Simile habendum judicium, ſi parvulus, plus quam viginti quatuor horas in ante dicto ſtatu permaneret: hoc ipſum enim non leve vitæ latentis foret indicium & mortis nondum ſubſecutæ; ſiquidem quo major diſtantia à morte infantis intercederet: eo

ma-

magis conſpicua fieri deberent mortis argumenta, puta: rigiditas, frigiditas, putrefactio aut ſaltem ejus indicium. Quocirca ſi per viginti quatuor horarum ſpatium nondum hæc apparerent: imò vero nova licet dubia ſigna vitæ emergerent, quis certò affirmare auderet infantem obiiſſe?

4tus Caſus. Difficiliorem his caſum adducit, & reſolvit in ſua Theologia Amortius: de Sacr: bapt: dſſert: 1. p. 344. Jnfans nimirum dum veræ mortis indicia exhibet, qualia ſunt præter privationem pulſus, reſpirationis motûs, ac ſenſûs, etiam poſt ferrum ignitum admotum: Defectus alterationis ad afflationem ſulphuris accenſi, in nares & os: defectus exonerationis naturæ poſt applicationem ſternutatorii per pulveres, vel ſalis, volatilis cornu cervini & unctionem balſamorum vel ſpirituum. Frigus perma-

manens ac pertinax: defectus elasticitatis ad impressionem polli. is ingenis, color ater seu lividus: oculi tenebrosi ac fracti seu flaccidi: membrorum rigor ac tenuis aliquis odor cadavericus, ejusq; saltim initium cranium impressum &c. Omnia signa hæc Amortio fatente mortem moraliter certam ostendunt: sed non omnino ait infallibiliter etiamsi per spatium duodecem horarum aut longius ponerentur. Quia suspicio ait potest haberi asphyxiæ præsertim in parvulis ubi deest putrefactio aut ejus initium per violentum cadavericum fætorem indicatum. Quocirca si nova aliqua vitæ latentis emergerent signa quanquam dubia in infante ad Ecclesiam allato: posse eundem sub conditione baptisari resolvit. Quanquam hæc Amortii opinio circa præsentem casum difficultate non caret: siquidem tota signorum

mor-

mortis congeries in casu adducta, inclusa etiam rigiditate membrorum videtur certitudinem mortis phisicè concludere, & ideò ad infantium talium naturalium vitam probabiliter affirmandam signa tantum dubia vitæ non sufficere nisi posteriora hæc signa sint adeò notabilia: ut quamvis certò vitam demonstrare non possint, antecedens tamen de morte judicium certum debilitent. Unde in tali casu magis ex circumstantiis judicium informandum erit.

5tus Casus. Quod si infans omnia supra indicata signa mortis haberet, immunis tamen esset à putrefactione atque odore cadaverico: sed dubium esset, utrum defectus iste putrefactionis ex eo fortè oriatur: quod parvulus hyeme sub terra glacie vel nive repertus fuerit ac deinde ad Ecclesiam translatus incerta ostenderet vitæ signa; ex

præ-

præfata ſua doctrina putat Amortius, conditionatum baptismum eſſe conferendum: „ *In infantibus* „ (ait ille differt 1.) *non adeò remo-* „ *tis a partu*, ideſt poſt biduum aut triduum, de his enim loquitur, *vel tempore hyemali sub terra nive, vel glacie præservatis a putrefactione* „ *non reperitur principium* fermen- „ tationis aut putrefactionis parti- „ um. Jtaque rectè dubitari pote- „ rit: an non proveniat a princi- „ pio vitali? ſicuti fieri ſolet in „ Hirundinibus, muſcis, teſtudine, „ Climace, ac variis aliis anima- „ libus, tota hyeme ſine ſenſibili „ ſigno vitæ perdurantibus.

Quibus Benedictus XIV. Sigiſmundus Delrio, Bruhierius aliiq; non pauci Lucomoriæ habitatores addidêre. Cum autem hic caſus magis arduus ſit præcedenti, ſimiliter ex ſignis vitæ magis probabilibus res pensanda erit.

Sequuntur casus mortis infantium indubitate.

Sextus Casus. Ubi autem in infante ad Ecclesiam allato, apparuerit putrefactio, vel, initium ipsius per fætorem acutum cadavericum indicatum aut aliud characteristicum signum mortis, vel aliqua invincibilis mortis causa præcesserit, ad conferendum baptismum signis vitæ omnino certis opus est. Certa autem resurrectionis ac vitæ redeuntis signa erunt: sensatio manifesta, vox, ploratus, respiratio, pulsus arteriarum, aliiq; motus non transeuntes, irregulares & æquivoci, sed stabiles atque viventium proprii: Neque dubitari potest talia miracula ad prædicta Sanctuaria fieri. Testantur id graves Authores de materia ista tractantes. Sic de infantibus ad simulacrum Fournense deductis referunt Joannes Buccellinus in Ann: Gallo: Flan: lib:

2. Bagatta Adm: Orb: Chriſtia: tom: 2. lib: 8. *horum* (inquiunt) *multi tantisper vitam recipiunt, ſi deferantur ante prædictam imaginem, & interdum quidem ad multos vitam annos producunt.*

Septimus Casus Si quando tamen infantis mors certa fuerat: at indicia ſubsequentis reſurrectionis incerta; baptismus etsi conditionatus conferri non poteſt. Hæc reſolutio consonat Decretis Sacræ Congregationis. S. Officii 27. April: & 19. Decembris 1729. 29 Februarij 1737. & 30 Januarii, 1732 item 11. Maji. 1751. Quod Benedictus XIV citat l. 7. De Synodo Diæceſana cap: 6 & ſubdit. „ Verum præ„ dicta Congregatio recte ſapienter„ que animadvertit: quod minime „ agebatur de infantibus, de quo„ rum morte aut vita ambiguis in „ utramque partem concurrentibus „ indiciis, diſputaretur: ſed de in-

„ ſan-

„ fantibus procul dubio vitâ functis
„ quique ſaltem tanto tempore vi-
„ ta caruerant, quantum in itinere
„ plurium quandoque dierum, nullo
„ prorſus alimento ipſis dato, im-
„ penſum fuerat: ac proinde rem eſ-
„ ſe de vero miraculo reſurrectionis;
„ quod ſanè admitti non debet, niſi
„ perſpicuis & planè concludenti-
„ bus probationibus evidenter de-
„ monſtretur. Signa verò æquivo-
ca reſurrectionis eſſent, ut explicat
idem Benedictus XIV. pallidi co-
loris in rubicundum mutatio, aut
membrorum, quæ anteà rigebant
flexibilitas, aut ſangvis è naribus
fluens, aut aliqua ſudoris gutta, quæ
in fronte vel in ſtomacho appareat,
aut, ſimilia, quæ in veris & in-
dubitatis cadaveribus contingere
ſolent propter actionem fermentati-
onis. Ubi enim accidit fermenta-
tio, ubi etiam calorem, partium ex-
panſionem conſequenter ſangvinis
ad

ad extimas partes profluxum adesse necesse est.

Notandum ex Amortio. Qui reprehendit morem frequenter hujusmodi parvulos ad Ecclesiam transferendi maximè brevi post partum prima scilicet sive altera horà: hoc enim tempore faciliùs vivi esse poterunt, & adhibitis remediîs ad se redire. Unde addit per hanc praxim multos infantes interfici sine baptismo: ut pote quorum vita latens propter itineris molestias multorum sæpe dierum aliaque incommoda extincta esse deprehensa est. Parentes insuper prætextu speratæ resurrectionis, ubi parvulus fortè absque vita sit oriturus, orationis assiduitatem, atque fervorem negligunt: atque debitas pro fætus ante partum conservatione cautelas contemnunt. Dum igitur infantis mors non adhuc per signa characte-

ri-

riſtica fuerit indubitata: expedit illum in domo propria in aere temperato detinere: ſimulque curare, ut infans remediis ad vitæ uſum excitetur. Loco delationis ad Sanctuaria, Divinæ miſericordiæ ſub invocatione Beatæ Mariæ Virginis aliiſq; Sanct s commendetur; addito propoſitô vel voto, eundem ad locum miraculis Beatæ Mariæ Virginis vel Sancti invocati celebrem deferendi in gratiarum actionem poſt vitæ manifeſtationem vel reſtitutionem ſubſecutam: ac ubi ſigna vitæ etiam incerta apparuerint in infante, illico à Parocho vel ſi non aderit, ab alio quopiam baptisandus erit: Si verò pro ſperatis vitæ ſignis nova insurgerent characteriſtica mortis indicia: tunc ſane tempus erit congruum, corpusculum exanime ad Jmagines Thaumaturgas deportandi: ſi fortè miſereatur Dominus parvulumque vivificet: potens

tens enim eſt de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ: ac valdè laudabile eſt humili oratione in tanta neceſſitate hoc implorare miraculum. Atque ubi indubitata ſigna reſurrectionis infantuli adeſſent: hic abſolutè baptisandus eſſet a proprio Parocho vel alio quopiam Sacerdote casum discernente.

Nota 2do. Parvulos ſine baptiſmate mortuos nihilominus pro ſepultura ipſa profana ſemper ad Parochos deferri expediret: uti Syracusana Synodus Marini Annô Domini 1727. imitatione digno Decreto ſancivit: „Ne infantium ſine Baptismate decedentium ſuperſtitionibus deſerviant membra, Obſtetricibus, Parentibus, aliiſq; ad quos ſpectat, diſtrictè præcipimus: ut integros & non mancos aut mutilos deferant ad Parochos eorum ſepulturam in tuto ſecre-

„to-

„ toq; loco curaturos. Æquum enim eſt, ne cum vasa gloriæ Dei eſſe nequeunt, ſaltem adversùs Creatorem ſuum veluti diabolicæ nequitiæ inſtrumenta adhibeantur.

Et hæc in materia præſenti collecta ſufficiant Lectori.

Omnia
Ad Majorem Infantuli JESU Gloriam.
Beatæ Mariæ Virginis Jesu Paræ Honorem.
Sanctorum Josephi Jesu-Paræ Sponſi, Joachimi & Annæ Infantis Mariæ Felicium Parentum Cultum.

ERRATA CORRIGE.

	Folio.	versu.
Pro mora *lege* mola	10. -	12.
Pro ſtatus *l.* ſtatuo	*eod:* -	*ult:*
Pro vel *l.* veli	25. -	4.
Pro ætib9 *l.* fætibus	33 -	7.
Pro Auphali viſi - - - *lege* Acephali vivi.	57. -	2.
Pro horriſia *l.* horrifica	*ibid:*	17.
Pro defunſti, *l.* defuncti	59. -	23.
Pro Quintana adveuas - *l.* Quintanadvennas	86. -	20.
Pro Obſtetrices *l.* Obſtetricis	92	18
Pro ſe *lege* ſed	128. -	9.
Pro operito *l.* aperitio	171 -	17.
Pro indubitatè *l.* indubitatæ f.	180.	*versu* 2.
Pro ubi *l.* ibi	182. -	23.

